DISSERTATIO PLATONICA.

DISSERTATIO
PLATONICA,

QUA TUM

DE CAUSA ET NATURA

MYTHORUM PLATONICORUM

DISPUTATUR, TUM

MYTHUS DE AMORIS ORTU, SORTE ET INDOLE,

A DIOTIMA IN CONVIVIO NARRATUS,

EXPLICATUR.

ACCEDUNT SCHOLIA ET ENARRATIO EORUM, QUAE INDE A PLUTARCHO AD ILLUSTRANDUM MYTHUM ALLATA FUERUNT.

SCRIPSIT

ALB. JAHNIUS,

BERNAS HELVETIUS.

BERNÆ.

APUD C. A. JENNIUM, FILIUM.

MDCCCXXXIX.

„Fabulas interpretari, quae apud Platonem occurrunt, difficillima sane res est. Nam uti nolumus illas accipere ut narrationes quasdam inanes, quibus puerorum instar oblectemur tantummodo, ita cavendum est maxime, ne iis sensum significationemque tribuamus, a philosophi mente abhorrentem. Sed in ipsa etiam exquirenda auctoris mente et sententia facile committimus hocce, ut, forma neglecta, destituamus eas omni gratia et venustate, imo vi maxima, quae habitu, forma, imagine unice exprimitur et veluti oculis proponitur (vid. Wyttenbach in Epist. Specimini meo praemissa p. 37). Quid igitur? In philosophia tradenda Platonis enarrandae nobis tantummodo sunt, quae apud eum ocurrunt fabulae? Imo vero explicandae videntur simul et illustrandae, sed ex ipsa antiqnitatis et Platonis ratione.“

Heusd. Init. Philos. Plat. Vol. I, P. I, p. 119.

VIRIS ERUDITISSIMIS,

FAUTORIBUS BENIGNISSIMIS,

JOANNI CASPARO ORELLIO,

HERMANNO SAUPPIO,

GRATI TESTIMONIUM ANIMI

OFFERT

A. JAHNIUS.

PRÆFATIO.

Nonus hic est annus, ex quo ego primam manum operi nunc in lucem prodeunti admovi. Nam quum mihi ante hos novem annos in *academia*, quae olim vocabatur, *Bernensi* theologorum in castra ingredienti instituto sapientissimo specimen studiorum philosophorum scribendum esset, ego, qui tunc recenti flagrabam philosophiae platonicae amore, id agendum suscepi, ut, simul patefacta universa mythorum platonicorum natura, interiorem doctrinam mythi a Diotima in Convivio narrati explicarem. Opus ex hoc consilio ortum viris studiorum meorum arbitris dignum est visum, quod typis exscriberetur; atque eventum res habuisset, nisi mutatus reipublicae status animos eorum, quibus institutionis publicae cura demandata erat, ad graviora negotia avocasset. Quod profecto bonum est factum! Nam ut opus, licet juvenile, laude ei tributa haud prorsus indignum erat, ita multa tamen postea in eo explenda ac refingenda reperi, et familiarior factus platonicae philosophiae, et auctus linguae latinae cognitione. Ut vero operis proprio Marte edendi tandem ipse caperem consilium, ea exstitit causa, quod, quo magis ipse interior fiebar Platonis mysteriorum et cum mea aliorum sententias de fabula a me illustrata comparabam, eo certior indies

innascebatur persuasio de veritate rationis a me in explicanda fabulae doctrina initae. Sic tandem, abjectis omnibus aliis negotiis, ultimam operi manum admovendam censui, expolitum operis typographicis tradidi.

Haec hactenus de ortu et quasi historia huius libri mei, quo quae mihi exsequenda sumsi, si vel ex parte profligavi, minime opus laude sua carebit. Nam ut hoc loco aliquid de gravitate consilii, quod in eo scribendo secutus sum, praedicem: quid viris eruditis nostrae praesertim aetatis, qua quaestio de mythis sacrae scripturae fervet, exspectatius esse potest, quam in universum cognosse, quae sint causae, quae natura mythorum Platonis, i. e. philosophi χριστιανικωτάτου, nec non singulari exemplo explicatae praeclarae cuiusdam fabulae platonicae de hac re certiora edoceri? Quae quidem fabula si mysteria continet gravissima, imo si Plato ea aperire conatus est vitae humanae mysteria, nonne illa explicanda eruditioribus philosophis et theologis, qui omnes philosophiae platonicae necessario student, gratum fecisse videbimur? Et quum philologis quoque, iis quidem, qui hodie indies magis in Platonis consuetudinem insinuare se student, dissertationem nostram commendatam voluerimus, iisdem accessorii emolumenti haud parum parasse videmur scholiis eidem adjectis et enarratione eorum, quae inde a Plutarcho ad illustrandam fabulam allata fuere. Quamquam his epimetris conscribendis omnibns lectoribus prodesse voluimus: in illis enim primum veterum scriptorum locos a nobis per totum opus tecte in usum nostrum conversos ad sedes suas revocavimus; deinde librorum a nobis consultorum notitias literarias adjecimus; tum nostris congruas aliorum virorum sententias de fabulis platonicis et praecipue de fabula a nobis explicata laudavimus, interdum etiam discrepantes aut omnino reprobandas notavimus; porro Platonis locos in dissertatione laudatos, sicubi ex re esse videbatur, φιλολογικῶς illustravimus; denique Platonis sententias a nobis in medium allatas, praesertim quas ex fabula in Symposio narrata evolvimus, cum locis παραλλήλοις comparavimus partim ex ipso Platone, partim ex scriptoribus platonicis,

sive illi vel ipso nomine Platonici audiunt, sive sentiendi et cogitandi ratione pro Platonicis habendi sunt, cuius quidem posterioris generis Platonicos multos ex patribus eccles., multos itidem ex recentioris aetatis poetis, philosophis atque theologis laudavimus, ne medii quidem aevi viris prorsus neglectis, ut scholia nostra hoc nomine instar *anthologiae platonico-christianae* habeant.

Ipsam fabulae explicationem quod attinet, in ea longiores nos fuisse, ii tantum mirabuntur, qui, libro perlecto, ne id quidem cognoverint, quid illud sibi velit, quod Diotima, a Socrate de Amoris parentibus interrogata, ipso fabulae in exordio sic locuta a Platone fingitur: *μακρότερον μὲν διηγήσασθαι· ὅμως δέ σοι ἐρῶ.* Nimirum doctrina, quam Plato fabula ista explicare studuit, divinior est, quam cuius argumentum humana ratione et oratione prorsus exhauriri possit: alioquin Plato eam non *μυθικῶς*, sed *διαλεκτικῶς* patefecisset, id quod ex nostra de fabulis platonicis doctrina apparebit. Itaque satis habebo, si explicationis meae ambagibus id ero adsecutus, ut, quemadmodum ego, ex quo primum in interiorem huius fabulae cognitionem veni, simul vitam humanam et intelligere melius et aestimare didici*), ita ii, qui vitam humanam, id est Amoris vitam paullo accuratius adspexerint, eius ortum, sortem et indolem divinitus a Platone fabula nostra illustrari intelligant, atque illam ex hac indies sapientius aestimare, hanc ex illa magis magisque pernoscere discant. Cui quidem rei nostra praesertim aetas ansam praebere videtur facillimam, quippe qua Amor ille *γόης* et *φαρμακεὺς* atque *σοφιστὴς* ita caput extollit et pervagatus est, ut Amorem *φιλοσοφοῦντα* et *φρονήσεως ἐπιθυμητὴν,* sicubi compareat (et viget sane haud uno loco laetissime), optime ab eo dignoscere, itaque

*) In explicandis iis, quae de vita humana Platonis fabula involute docet, interprete passim usi sumus Flor. Voluseno, cuius Dialogus De Animi Tranquillitate (Edinb. ap. Hamilton etc. MDCCL.), etsi eo ne verbulo quidem de Platonis fabula agatur, tamen magnopere nobis profuit ob id ipsum, quod rerum humanarum cognitione intima abundat.

ancipitem Amoris indolem penitus cognoscere queas. Atque est omnino vita nostra hodie ita comparata, ut omnia, quae Amori Plato in universum sive in bonam sive in malam partem tribuit, in ea eluceant quam maxime perspicue.

Quod restat, Deo optimo maximo, quas habeo, hoc loco ago gratias quam maximas, qui me in ipso prope fine laboris ex hoc opere edendo suscepti gravi morbo correptum deque illo perficiendo interdum desperantem ad sanitatem reduxerit, spemque non praeciderit perficiendi aliquando commentarii in Platonis Symposium, operis diu parati, cuius istud quasi prolusionem quandam haberi volo.

Scribebam Bernae, die post solstitium quinto
MDCCCXXXIX.

PARS PRIMA.

DISPUTATIO DE CAUSA AC NATURA FABULARUM APUD PLATONEM.

I.

ENARRATIO LOCORUM IN PLATONIS LIBRIS, E QUIBUS ARGUMENTA SUNT.

Disputationis meæ quum huc spectet summa, ut quæ in fabula de Amore apud Platonem in Convivio involuta est, explicetur doctrina, id quo facilius consequamur propositum, hic nobis rerum ordo tenendus est, primum ut generatim et universe de fabularum apud Platonem causa et natura exponamus, tum ut singillatim de fabula in Convivio prolata disseramus. Quod qua fiat necessitate neminem esse puto quin videat. Neque enim quisquam, nisi bene perspecta generis alicuius ratione, ejus speciem aliquam illustrare poterit, neque si quis, ignorata fabularum, quæ apud Platonem inveniuntur, vi ac ratione, earum hanc vel illam explicandam sibi sumpserit, eum veri quidquam, quod fidem faciat, nobis allaturum esse sperandum erit. Nam quod rem non ab ultimo repetimus, eamque, quum nobis explicanda sit natura fabularum Platonis, non repetimus a hominis natura, neque, patefacta communi fabularum apud philo-

sophos causa, describimus, quomodo eae causae diversis locis, diversisque temporibus diversam fabularum naturam efficiant, quod porro fabulas, quibus philosophi utuntur, ab iis, quae in antiquissima historia reperiuntur, non distinguimus, denique quod omnino haec omnia non tractamus, et sic demum ad Platonem accedimus; huius rei causa est, quod de illo argumento cum ab aliis viris eruditis tum imprimis a Schellingio ea disputata sunt, quibus tanquam certis et confessis uti posse videmur. Itaque revocemus nos ex illo tam magno campo ad angustum gyrum et fabularum apud ipsum Platonem explicemus naturam. Tenendum autem est, me nullis adminiculis, sed meo, ut dicitur, Marte de hoc argumento explicaturum esse. Placet igitur huius quaestionis principia a fonte quasi et a capite repetere et ex ipsius antiquitatis auctoritate orationis nostrae firmamenta desumere, quam meam quandam utcunque speciosam rationem, antiquitatis auctoritate nudatam, proponere. Et quem nos tandem in hac de fabulis apud Platonem quaestione ex universa antiquitate sive ad rem nostram aptiorem sive ad auctoritatem graviorem ipso Platonem sequamur auctorem? Hoc duce freti in nostra quaestione exitum inveniemus. Itaque quidquid locorum in Platonis libris ad patefaciendam causam, quae Platonem ad frequentandas fabulas compulit, et ad aperiendam rationem, quo modo iis sit usus, aliquid conferre mihi visum est, id in unum omne congestum enarrabo: deinde argumentis

---

*) Nam Henkii quidem et Huettnerii de eodem argumento dissertationes (vid. *Henkii* dissertatio de philosophia mythica, praecipue Platonis. Helmst. 1776. 4. *Huettner* de mythis Platonis. Lips. 1788. 4.) ex indicibus litterariis non nisi nomine cognovi, ipsas videre nunquam mihi contigit. Quod autem ad Garnerii et Eberhardi disputationes attinet (vid. *Garnier*, Mem. de l'usage que Platon a fait des fables, in libro: Mem. de l'Acad. des inscript. Tom. 32, atque: Neue vermischte Schriften von J. A. Eberhard. Halle 1788. 8. pag. 354 — 402), legi quidem eas, sed tantum abfuit, ut, iis lectis, amplius quod desiderarem non habuerim, ut ad hanc rem de integro disputandam excitatus fuerim. Garnerium enim ut mittamus, Eberhardus multa ille quidem, ut philosophum agnoscas, ingeniose et subtiliter et vero speciose dixit, sed quae firmo niterentur fundamento, frustra equidem apud eum quaesivi.

ex his locis ductis meisque quantuliscunque rationibus adjunctis rem ad exitum perducam.

Exordiamur igitur ab illo libro, qui quasi receptaculum quoddam aut sanctius aliquod aerarium obscurissimarum et amplissimarum fabularum primus nobis excutiendus est, et primum ex Timaeo proferamus locum, qui, ut est fere omnium gravissimus, ita, quo recte aestimetur, requirit, ut ea, ex quibus pendet, quamvis longiora, integra tamen afferantur. Timaeus igitur, quem Plato de natura universi mundi, deque eius generatione et ortu, hominumque natura divinitus exponentem facit, duo omnino in initio discernit rerum genera (v. pag. 27. D sq. ed. Steph.): unum earum, quae opinionem tantum afferant per sensus, rationem non admittant, alterum earum, quae mente et intelligentia percipiantur. Prius illud ait esse nunquam, semper fieri: posterius nunquam fieri, semper esse. Etenim esse ea demum, quae semper sint et immutabilia, quaeque nunquam neque oriantur neque occidant; fieri autem, non esse ea, quae perpetuo mutentur, quae et orta sint et interitui obnoxia. Jam quum omnia, quae gignantur, ex aliqua causa gigni necessi sit, sequi, ut genitor, si illam speciem, quae semper est, quasi exemplar quoddam, intueatur, pulcrum opus efficiat: sin minus, ut aliter res cadat. Jam vero hunc mundum, quandoquidem cernatur et tangatur et undique corporatus sit, ortu generatum esse; itaque a parente et artifice mundum fabricatum esse, quumque pulcer sit mundus, omniumque omnino, quae cernamus, operum pulcerrimum, eum ad id exemplar esse effectum, quod immutabili aeternitate contineatur, itaque ipsum aeterni esse simulacrum, aedificatorem autem praestantissimum. Atque de his quidem, priusquam ad eum locum, quo summa continetur, accederemus, a nobis monendum erat; nam sic demum constabit de ratione totius loci certiusque ea et ad veritatis normam diligentius perpendentur et judicabuntur, quae inde ad fabularum apud Platonem naturam explicandam derivaturus sum. Quo accedit etiam lucrum adventicium, explanationem dico duorum illorum generum, quibus ex Platonis doctrina omnis rerum ambitus continetur, et ex qua, tanquam ex capite, orationis meae pars haud minima pendebit. Sed nos, unde parumper discessimus, illuc revertamur et Timaeum jam quasi ipsum, ut

est apud Platonem, inducamus coram auditoribus loquentem: Timaeus igitur, mundi fabricam informaturus, haec summi momenti verba edit (v. pag. 29. B. C. D.):

« Difficillimum sane est de omni re dicendi exordium capere, si orationem ad rei naturam comparatam esse velis. Eorum igitur, quae supra appellavimus imaginem et exemplar, haec prima sit distinctio: omni orationi cum iis rebus, de quibus explicat, videtur esse cognatio. Itaque, quum de eo disputatur, quod semper uno eodemque est statu, neque unquam fluit aut labitur, quodque mentis auxilio homini patefactum redditur, stabilem decet esse orationem atque immutabilem et qualis illa, quae neque redarqui neque convinci potest; quod ut praestemus omnibus viribus elaborandum erit. Quum vero ingressa est oratio simulacra efficta ad illud exemplar et expressa, bene agi putemus, si, proportione ad illa comparata, *similitudinem veri* verbis consequamur. Quantum enim ad id quod ortum est, aeternitas valet, tantum ad fidem veritas. Quocirca si, quum multi multa de deorum natura ortuque mundi dixerint, nos, hac de re disserentes minus id quod spectamus consequemur, ut tota dilucide et plane exornata oratio sibi constet, omnique ex parte secum ipsa consentiat; haud sane id erit mirum, contentique esse debebitis, si ea quae dicentur, *veri similitudine* ac probabilitate iis inferiora non erunt, quae ab aliis prolata sunt. Aequum enim est meminisse, et me, qui disseram, et vos, qui audiatis, homines natos esse; ut, si de hisce *fabula*, quae ad *veri* accedat *similitudinem* proposita fuerit, ea contentos, nil ultra requirere vos deceat. »

Haec Timaeus, cuius omnis illa oratio, qua disserit primum de Deo, de molitione universi mundi, deinde de generatione cum animae mundi, tum deorum, daemonumque et mortalium, deinde de fabrica corporis humani, postea de materia, de elementis, postremo de affectionibus corporis et animi humani, obscurissimarum involuta est integumentis fabularum, vel, si accurate loquimur, haec omnia illo orationis genere tractata sunt, quod similibus, a rebus quae in sensus cadunt petitis, ea, quae in adspectum non veniunt, ad veritatem exprimit; ut verbo dicam, eo dicendi genere Timaeus utitur, quod non *λόγος* est, sed, ut ait ipse, *εἰκὸς μῦθος*, et *μῦθον*, oratione pro-

grediente, Timaeus suam narrationem iterum atque iterum appellat. Et sicut Timaeus in exordio orationis, antequam de singulis agit, communem causam, quae se ad hoc dicendi genus impelleret, explicavit, ita eandem in ipsa rerum explicatione non raro iterum commemorat, indicans eius in singulis explanandis effectum. Quos quidem locos, ut gravissimi ponderis, ad verbum recitabimus, deinde aliis ex libris Platonis eos locos proferemus, e quibus aliquid in nostram rem derivari posse vidimus; quae autem ad eos recte intelligendos necessaria esse videbuntur, ea ex nostro penu adjungemus.

Quum igitur Timaeus statuisset, mundum, ut animal rationis particeps, sine anima, ratione praedita, esse non posse, mundique formam et corpus, a deo effectum, descripsisset: quomodo deus animam in eo collocaverit, exponit, his in fine additis verbis (v. p. 34. B.):

« Verum animam quidem haud, ut nunc nos, rem verbis exprimere conantes, diximus, eam, effecto demum corpore, conditam in eo fuisse a Deo, ita Deus quoque natu minorem creavit. Neque enim maiorem minoris imperio teneri copulans eos deus sivisset. Sed nos, ut in eam immersi naturam, quae temerarii ac fortuiti plena est, ita fere loquimur. »

Sequitur ille singularis plane locus, ubi, nomine quidem tenus patriam religionem secutus, de diis, quos Graeci *δαίμονας* appellaverunt, ita agit (v. p. 40. D. sq.):

« Reliquorum autem deorum, quos *δαίμονας* appellamus, et nosse et nuntiare ortum, maius est, quam ut profiteri nos homines audeamus. Credendum nimirum est veteribus et priscis, ut aiunt, viris, qui se progeniem deorum esse dicebant, itaque eorum vocabula nobis prodiderunt. Nosse autem generatores suos optime poterant: ac difficile factu est, a diis ortis fidem non habere, etiamsi nec argumentis nec rationibus certis eorum oratio confirmetur: sed quia de suis rebus nobis videntur loqui, veteri nimirum legi morique parendum est. » Tum, contexens cum suis placitis veterum poetarum physicorum fabulas, nomina refert deorum progeniei, qualis ab antiquissimis Graecorum poetis, qui ipsi sunt deorum illi filii, tradita erat in fabulis cosmogonicis, et qualem religio graeca sanxerat; quod autem antiquos, quo propius abfuerint ab ortu et divina

progenie, hoc melius ea quae essent vera vidisse putat Plato, sequutus est in hac re auctoritatem vulgaris Graecorum opinionis, qua omnis eorum theologia ac religio nixa erat. Sed haec sufficiant ad vim loci recte aestimandam.

Accedimus ad illud libri caput, quod continet quaestionem de materia et de elementis: quam priusquam exorditur philosophus, quum exposuisset, quam esset difficile, ignis, aquae, aëris et terrae naturam, qualis ipsa fuerit ante coeli ortum, quaeque eius fuerit conditio, contemplari, Deum precatur (v. pag. 48. D.) « ut se egressum insolenti ista et insueta explicatione ad aliquod dogma *veri simile* salvum perducat. »

Mirifica porro et prorsus sublimis vis est eius loci, quo Timaeus humanae intelligentiae tenuitatem depingit, quae, sensibus obstricta in eosque quasi immersa, illam naturam, quam in ea prioris disputationis parte, quae supra a nobis relata est, vere esse docuerat, cernere et cogitatione comprehendere vix possit. Sunt autem haec eius verba (v. p. 52. A. sq.):

« Illud vero rerum genus, in quod interitus, quem habet locus, nunquam cadit, quodque sedes est eorum, quaecunque ortum habent, omnium, ipsum quidem ab eo, qui animo a sensibus libero viget, comprehendi potest, nobis autem, ratiocinatione quadam praepostera fretis, eius fides vix ac ne vix quidem confirmatur. In illud quum mentis aciem intendimus, somniantium instar dicimus, necesse esse, existere alicubi id quod sit omne, et esse in aliquo spatio, et locum quendam ac sedem occupare: quod vero neque in terra sit, neque in coelo alicubi, id nimirum esse omnino non posse. Haec vero omnia, quaeque hisce sunt similia, de illa, quae vere est natura, quamque, qui contemplari cupiunt, minime sopiti esse debent, adfirmare ac veritatem, excusso torpore, dicere non valemus prae isto nostro somnio, sed, ut *similitudine* ac *comparatione* verum docemus: neque enim id ipsum, in quo exstitit, ipsius proprium est naturae, semper vero alius atque alius fluxa exstat *imago*. »

Exornata fabulosa oratione hominis fabrica, quatenus ex mortali et immortali commixtus est natura, haec subjicit (v. p. 72. D.):

«Vera autem nos in iis, quae ad animum pertinent, quaestionibus dicere, quantum a mortali natura traxerit, quantum a divina, eaque ubi sint, quibusque adjunctis, et quamobrem secretis sint condita locis, unice tum demum, quum Deus approbaverit, affirmabimus; id saltem quod *veri* sit *simile* a nobis dictum esse, profiteri profecto conemur.»

Enumeratis de Timaeo omnibus iis locis, ubi Plato rationem fabulosi, quo utitur, docendi generis affert, age accedamus ad eum librum, qui conjunctus est cum Timaeo, quique Critias inscribitur. In quo, quum antea Timaeum de mundi, deorum, hominumque origine exponentem induxisset Plato, nunc Critiam de hominibus, legum ope formatis, deque priscorum Atheniensium republica ex fabula narrantem facit. Et quemadmodum Timaeus in disserendi exordio, tanquam de difficillimis rebus dicturus, ignoscendi veniam ab auditoribus petierat, ita Critias quoque ac magis etiam deprecatur, maiorem difficultatem suam narrationem habere adfirmans. Quod quale sit impedimentum, conversa ad Timaeum oratione, iis docet verbis, quibus haud scio an aliquid exstet in Platonis libris, quod maiorem vim habeat, quodque efficacius sit ad ipsam fabulae naturam patefaciendam et in animi quasi sensu ponendam. Quo magis Critiae sententiam, quamvis longiore enunciatam oratione, integram audire operae pretium est. Sed nos tandem ipsum audiamus Critiam (v. p. 107. A. sq.): «Nam de divinis quidem, o Timaee, coram hominibus docentem, ad audientium sententiam satis commode dicere, vide, ne res sit facilius impetratu, quam de rebus humanis coram vobis mortalibus exponentem, me vestrum plausum ferre. Etenim summa auditorum amentia summaque ignoratio magnam sane loquendi copiam ei praebet, qui de iis ipsis loqui instituit, quorum apud illos summa est inscientia. Ac deorum quidem quomodo comparata sit nostra notitia, id sane obscurum non est. Ut autem quod sentio, dilucidiore aperiam expositione, videte si fortasse hac ratione quid velim assequamini. Quae a nobis omnibus dicuntur, necesse est, ita proferantur, non ut res ipsas plane exhibeant, sed ut *imitatione* quadam tantum *effictas* et *ad similitudinem expressas* eas proponant.» Hoc posito Critias se et Timaeum cum pictoribus comparat, quoniam uterque oratione ad similitudinem

comparata, ille quidem divinam, ipse vero humanam naturam effingat. Et quod in pictura usu venire videamus, ut iis tabulis, in quibus deorum formae, mundus, coelum, terra, singulae eius partes ac regiones depictae sint, abunde satisfactum sit hominibus, si vel exiguam quandam earum rerum imaginem similitudinemve expresserint pictores (homines enim, utpote harum rerum accurata cognitione destituti, quomodo examinare picta et, si quid in iis delictum est, errorem coarguere possint?), contra ut in depictis humanarum formarum simulacris obscura quadam fallacique adumbratione contenti non sint, sed, si quid peccatum fuerit, propter domesticam, perpetuamque earum rerum observationem acutius id persentiant, atque adeo rigidi sint iudices adversus eum, qui non omnia perfecta omnino et absoluta undique similitudine expresserit; — idem in oratione quoque accidere dicit Critias: ut, quum de rebus coelestibus et divinis fiat narratio, abunde nobis satisfactum esse arbitremur, si oratio, vel maxime a vero deficiens, veri dumtaxat speciem aliquam habeat, contra in rebus mortalibus et humanis diligentiam in examinando adhibeamus magnam.

Proximo nobis loco sit ex Phaedro sententia quaedam, et ipsa praeclara, et quidem ex eo Phaedri capite, quod Palinodiae nomine fertur, in quo Socrates, quum carmen in honorem dei Amoris, quo eius in homines vim beneficam et salutarem commemoraret cantaturum se esse professus esset, rem ab origine repetit et ita exsequitur, ut de natura animae tum divinae in mundo tum humanae, quae patiatur, quaeque efficiat, doceat. Tota autem demonstratio ab eo capite fluit, quo immortalem esse omnem animi naturam rationibus firmatur. Quo facto ita pergit loqui Socrates (v. p. 246. A.):

« Ac de immortalitate quidem animi quum satis disputatum sit, sequitur, ut qualis sit eius species explicemus. Qua in re sic statuendum est: ad ipsam quidem animi formam, qualis sit, explicandam, divinum prorsus planeque sublime requiri orationis genus; cui autem *similis* sit animus, docere, humanae et minus arduae orationis esse. Itaque hac ratione dicamus. » Hac edita voce, tanquam divina virgula, mirae excitantur species fabulosae; conversum videmus animum in aurigam, pennis nixum, in aethere volantem, universum mundum pervagantem, exoritur

Jupiter, summus Olympi rector, *agens equos volucremque currum*, comitantem videmus deorum, daemonumque exercitum, in undecim distributum acies, lustramus animo spectacula et itinera deorum in confiniis mundi et, quae ultra eum est, regionis — quid multa? Tota ista animi explicatio, cui Amoris laudatio proposita est, inde ab illis verbis, quae supra attuli, tanquam a capite usque ad exitum, fabularum involucris et integumentis obvelata est i. e. veram animi naturam oratione *veri simili* illustrat.

Antequam longius progedimur et conjunctum cum hoc ex Phaedro alium afferimus locum, age ex Convivio ea verba proferamus, quibus Diotima, Socratis in amore magistra, illam ipsam de Amore fabulam orditur, quam Socrates in Platonis Convivio tanquam a magistra auditam refert, et ad quam recte explicandam haec omnia paramus. Sunt autem ea verba eiusmodi, ut per se spectata nullius fere momenti esse videantur, cum illis ex Phaedro comparata et vim habeant permagnam et illustrentur optime. Nam quum Diotima Socratem de genere Amoris edocuisset, quem ex daemonibus esse dicit, jam quinam eius sint parentes Socrates interrogat. Cui illa fabulam de Amoris origine et indole narratura, haec dicit (v. p. 203. B.): « Quo autem patre quaque natus sit matre Amor, docere, grandius id quidem est, quam quod oratione explicari possit: conabor tamen tibi dicere. » Quae ut dixit, statim fabulam de Amore Veneris natali generato Diotima narrat. Quid tandem igitur aliud illa verba sibi volunt, quam, id quod ex simillimo Phaedri loco colligimus, haec fere: « Ipsum quidem Amoris ortum, qualis fuerit, humano orationis genere exponi non posse: divinam id prorsus et grandem desiderare tractationem, posse tamen eam rem ex humana natura ad *veri similitudinem* illustrari, idque minorem habere difficultatem. » Sed haec hactenus: redeamus ad Phaedrum et priori illi loco ea adjungamus, quae Plato Socratem in sequentibus de illo suo in divinum Amorem carmine loquentem facit (v. p. 265. B.): « Ac nescio quomodo nos in amoris affectu, *imaginibus* exprimendo, fortasse *veritatem* aliquam assequuti sumus, fortasse etiam alio deflectentes, libanda oratione non prorsus improbabili, fabuloso quodam carmine Amorem jocose celebravimus. »

Quod Amorem jocose se celebrasse dicit, pertinet hoc vel maxime ad vestitas ipsa fabulosa oratione eas res, quibus Amoris virtus cernitur. Quod enim ad fabulam vera narratio, id ad jocum seritas ac gravitas. Et sicut jocus infantiae proprius est, gravitas confirmatae aetati, ita infantia fabulis nutritur, adulta aetas, abjectis nugis, seria tractat. Jam quum philosophus mente confirmatus eas res, quae extra hominis experientiam positae sunt, quaeque divina continentur natura, apprehendere quidem, neque tamen in eas unquam penetrare valeat, si eiusmodi aliquid, quale sit, ad veritatem oratione explicare conatur, vere infans fit et divinae gravitati impar ad fabulam confugit. Sed haec quominus nunc ulterius persequamur, instituta nos prohibet orationis ratio. Infra hunc locum accuratius explicabimus. Nunc, quum praeclara occasio sit facta, afferamus ea verba, quae in libro, qui Politicus inscribitur, Plato hospitem cum Socrate loquentem facit, antequam fabulam illam de antiquissima mundi conditione et conversione antiquitus traditam affert. Sunt autem haec (v. p. 268. D.):

«Rursus igitur ab alio principio alia quaedam ineunda est ratio ac via, ut fere jocum quendam immisceamus. Magnam enim prolixae fabulae partem quaestioni nostrae adhibeamus oportet, quo ad summam quaestionem perveniamus. Tu vero (Socratem dicit) fabulam attento plane percipe animo, quemadmodum pueri solent.»

Transeamus ad Phaedonis quendam locum et ipsum in primis gravem. Nam quum Socrates animum immortalem esse probasset, eumque post corporis mortem in sedes inferorum perduci secundum famam dixisset, et jam informaturus ea habitacula, ex iis, quae ab eorum quodam, qui de terra docere solerent, maxime singularia accepisse se dicit, nonnulla attulisset, perculsus rei novitate Simmias libenter se omnem rem audire dicit. Tum Socrates: «Atqui Simmia, inquit (v. p. 108. D.), non difficile quidem mihi videtur, enarrare ista: vera autem ea esse, docere, haec res difficilis atque adeo difficillima mihi videtur; quod si vel maxime praestare possem, vita mihi videtur mea, o Simmia, orationis longitudinem exaequare non posse.»

Sequitur abstrusa illa et ex interiori Platonis disciplina hausta narratio, qua, tanquam pictura, terra vel potius totius natura coeli in duas regiones divisa fabulose describitur: quarum in altera, quam nos habitamus, omnia mala, imperfecta, simulata, et, quod etiam de nostra intelligentia valet, nil fere veritatis. Antequam vero Socrates huic oppositam describit alteram terram, quae pura sub puro jacet aethere, quaeque sola vere est terra — nam nos nunc quidem in huius terrae speluncis et sedimento haerentes prae crasso aëre veram, quae supra est terram, non videmus — illam igitur priusquam depingit terram, haec, iterum Simmiam compellans, Socrates dicit (v. p. 110. B.):

«Quod si etiam pulcra fabula vobis narranda est, digna sane est auditu ea, quae quales sint terrae regiones illae coelo subiectae exponit.» — «Illam vero nos, ait Simmias, lubenter audiemus.» Totam narrationem de regionibus apud superos et inferos hisce concludit verbis (v. p. 114. D.):

«Haec igitur, quemadmodum narravi, affirmare, revera ita se habere, non est illud profecto sani hominis. Quae vero ad animos nostros eorumque sedes pertinent, quoniam immortales esse animos nostros perspicuum est, ea vel talia vel similia debere esse, hoc vero et convenire mihi videtur, et dignum est ei periculum, qui rem ita se habere opinatur. Praeclarum enim est periculum et oportet sibi talia quasi permulcendo animo persuadere. Idcirco ego dudum extraho hanc fabulam.»

Huic loco ex Phaedone alium et re et verbis conjunctum addamus ex Gorgia, ubi Socrates, qui penitus persuasum habebat, probis justisque, etsi miseris et condemnatis ab injustis judicibus, bene, malis autem et impiis, etsi beatis ex vulgi opinione et insontibus corruptorum judicum et rhetorum judicio, male et in vita et post mortem esse, quo probabilem rationem, qua haec recti verique lex erga animos corpore exutos post mortem a divina justitia exerceretur, fingeret, fabulam profert, quam a poetis inchoatam ita perfecit, ut in ea verae illius sententiae semina conderet. Itaque priusquam fabulam narrat, colloquens cum Callicle, rhetore, cui aegerrime persuasum erat, veram esse legem illam: «Audi igitur, inquit (v. p. 523. A.), ut aiunt, praeclarum quendam sermonem, quem tu quidem, opinor, nil

nisi fabulam esse existimabis, ego autem verae rei narrationem habeo: tanquam vera enim quae dicturus sum, tibi dicam.» Et finita narratione ita loquitur (v. p. 527. A.): «Haec igitur tota commenticia tibi videbuntur et vix digna anicularum lucubratione: ideoque contemnes ea et despicies. Neque profecto id mirandum esset, haec contemni, si qua ratione investigantes, meliora aut veriora consequi possemus.» Quibus verbis quid aliud Socrates significasse putandus est, quam, qui item sensus est illorum in Phaedone verborum, fabulosam quidem narrationem, neque tamen meram fabulam esse, sed veram ei rem inesse, non ita quidem, ut omnia quae narrentur re vera et certo ita nec aliter se habere affirmare queas aut demonstrare, sed quae, simul ac veram esse legem illam agnoveris, summa animum percutiant probabilitate. Itaque Socrates, quum in eius mente, penitus sententia illa imbuta, quasi augurium quoddam futurarum post mortem rerum haereret, Calliclem, qui ne id quidem vidisset, puniri malos, bonos praemiis affici necesse esse, quid in ea fabula verum esset, ignoraturum, itaque totam ut ineptam explosurum esse rectissime dixit.

Attuli nunc ex Platonis libris omnes, quod sciam, locos in quibus aliquid momenti ad perspiciendam fabularum Platonicarum causam et naturam inest. Non parum profecto hac re ad summam quaestionem nos profecisse quisque jam videt. Sequitur, ut, his in unum congestis locis et tanquam fundamento quaestionis posito, ipsam de fabulis platonicis exstruamus quaestionem. Et quum ex omnibus locis, e quibus argumenta ducenda sunt, ille, quem primum ex Timaeo posuimus, unus omnium sit gravissimus, eius maxime ope hanc rem explicatam et expeditam reddamus, ita ut quicquid in ceteris inest argumenti, quo firmari ac probari possunt, quae argumentis ex illo sumptis edocemur, id conjunctim in hunc finem adhibeatur, quicquid vero singularis restat argumenti, id separatim ad partes vocetur. Caeterum nostram quaestionem de causa et natura Platonis fabularum hac ratione ad exitum perducere studemus, ut respiciamus et ad naturam ac facultates animi humani et ad causam ac naturam philosophiae platonicae.

II.

IPSA DISPUTATIO DE FABULARUM PLATONICARUM CAUSA AC NATURA.

Ergo, ut proficiscamur a Platonis initiis, duplex rerum est genus, quo universa continetur natura: unum earum, quae sensu et in primis visu percipiuntur; alterum earum, quae mente et intelligentia. Quorum illud nunquam est, semper fit: posterius nunquam fit, semper est. Singula, quae sub sensum cadunt, omnia et orta et interitura sunt, eademque perpetuo labuntur ac fluunt, neque diutius permanent uno eodemque statu. At formae et genera, quibus singulae res continentur, et fuerunt ab omni aeternitate, neque unquam esse desinent, sed semper eodem modo se habent. Haec igitur universa rerum formas sive ideas appellat Plato. Neque substantiarum tantum ideas faciebat Plato, verum etiam, ut nunc loquuntur, accidentium, neque naturalium modo rerum, sed earum etiam, quae artificio constant. Ad eas species, non intelligentia tantum, sed re ipsa separatas ab omnibus, quae cernamus, rebus, omnium generationum principia statuebat referenda esse, in eas denique tanquam in exemplaria intuentem, in iisque defixum, Deum caetera omnia, ut ex ore aliquo, imaginem in materia exprimere. Homo autem utrique harum naturarum conjunctus est: mente quidem et animo ei, quae una semper eademque manet, aeternae, divinae: sensibus et corpore ei, quae fluxa est et multiplex et mortalis: et ita quidem conjunctus est, ut, quoniam immortalis eius et simplex atque coelestis animus mortalis et concreti terrestrisque domicilio corporis hebetatur, illa, quae mente percipiuntur, sine sensuum ministerio ad intelligentiam revocare ac redigere in memoriam non possit. Sensus enim mentis sunt internuncii quasique satellites; sensus nobis ad veritatem quamvis incerti, duces tamen sunt; sensibus nisi quid prius perceptum fuerit, quod quasi viam ad intelligendum sternat, nil intelligitur et cognoscitur. Duplex autem est sensus: exterior et interior: ille quidem in corpore, hic in animo potissimum situs, neque tamen aut ille animi, aut corporis hic consortio disjunctus esse putandus est. Etenim neque omnis, quae in cor-

pus nostrum cadit, affectio sensum nobis sui imprimit, sed quae cum quadam quasi impulsione oblata extrinsecus fuit, neque magis qui, affecto sensibus animo, huius excitati sunt motus, omnes per corpus recurrunt. Sunt potius quidam, qui animo proprii censendi sunt, quatenus in solam intelligentiam cadunt. Ille quidem, qui ex concitatiori percussione exsistit sensus, corporeae proprius est naturae, multiplex et affectibus concretus, ex iisque omnia cernens. Hic vero illi praesidet, nil de corpore ducens, purus et intelligentiae naturam nactus, neque tamen ideo a forma liber; neque id mirum, qui et ipse in corpore exstiterit. Est igitur huius sensus natura maxime conjuncta cum phantasia. Nam quum sensus singula percipiat, et rerum notiones atque notitias in animo excitet, phantasia rerum sensu perceptarum formas quasdam et typos recondit ac continet. Jam quum sensus singula tantum apprehendat, non etiam universa, nisi quatenus sunt in singulis, neque substantiam percipiat, sed ea tantum, quae adjuncta ei sunt; sequitur, ut in eo scientia inesse non possit; scientia enim est rerum stabilium ac permanentium: res autem singulae infinitis agitantur mutationibus, ideoque per se sub scientiam non cadunt; universa autem et communia aeterna sunt et semper eodem modo se habent: quae quum ideis contineantur, earum est scientia et veritas. Quid tandem sensu et phantasia efficitur? Bona videlicet opinio. Sed video exemplo rem illustrandam esse. Nam, ut oculorum sensu utamur, qui in nobis est acerrimus, quaecunque videmus singula, semper alio tempore aliam induunt naturam: velut, in accidentium genere, pulcritudinem non proprie ac per se videmus, neque hoc vel illud eius nomine appellare possumus, sed hanc vel illam pulcritudinem videmus, sed hoc vel illud pulcrum vocare possumus. Et sic fieri videmus in omni harum rerum genere. Neque enim unquam aliud quicquam ex earum genere rerum, quas quum demonstramus et hoc vel illud nuncupamus, aliquid declarare nobis videmur, ita demonstrare atque appellare possumus, quasi aliquam habeat substantiam. Aufugit enim illud neque recipit aliquam eiusmodi appellationem, quae, quasi per se sit, stabile id esse indicare videtur. Sed hoc nos de singulis, quae cernuntur, non possumus dicere: potius, quod eo nomine semper circumfertur, simile id unice

appellemus, cum singillatim tum universe, et quod attinet cum pulcritudinem, tum caetera omnia, quaecunque orta sunt. Singula vero similia demonstrantes digito hoc vel illud appellare possumus, utpote in quibus singulae formarum illarum, quum exortae sunt, phantasiam nostram movent, rursusque elapsae pereunt. Opinioni autem bonae opposita est scientia, quae nititur mente ac ratione, quarum ut conjuncti sunt motus, ita discreta est natura, id quod post magis intelligetur. Quod si enim, ut nonnullis videtur, inter opinionem bonam et scientiam nil differret, omnia, quaecunque corporis sensu percipiuntur, quam maxime stabilia et aeterna esse ponendum esset. Contra, si, quod ratio, ut statuamus, jubet, duorum sunt generum scientia et opinio bona, statuendum erit, formas illas, ex quibus haec omnia pendent, omnino per se solas existere, minimeque sensibus percipi posse, soli menti patere. Diversa igitur haec habenda sunt: discreta enim sunt, neque simili natura: quorum hoc doctrina, illud persuasione a nobis recipitur: hoc semper conjunctum est cum mente ac ratione, illud mente certe privatum: illud persuasu moveri potest, hoc non potest. Atque sensuum quidem omnes mortales participes esse fatendum est, mentem vero et scientiam deo propriam esse, nec nisi aliquantulum homines attingere. Haec quum ita sint, sic omnino habendum est: eam, quae semper una eademque sit, speciem ortu et interitu carere, quae neque unquam quicquam in se aliunde recipiat, neque in aliud quicquam se convertat: neque visu illam percipiendam esse neque alio quoquam sensu, quippe quam mentis agitatio contemplandi munus sola sortita sit. Quod vero eiusdem quidem nominis ac simile illi secundo constitutum sit loco, sensibus aptum et natum esse et semper fluere, quumque exstiterit in aliquo loco, rursus inde interitu mox elabi, juncto cum opinione sensu comprehensum. Hisce satis, opinor, probatum est, ab opinione bona nil nisi veri speciem et imaginem quandam, contra a scientia, quae mente ac ratione continetur, ipsam veritatem et exemplar apprehendi. Sed age jam e Platonis doctrina exponamus, quamobrem, quum omnes homines mente praediti sint, paucissimi tamen ad scientiam perveniant. Docuit igitur Plato, animos nostros, antequam demitterentur in corpora, familiariter, ut ita dicam, versatos esse cum

Deo et cum ideis, earumque ex intuitu omnium rerum cognitione viguisse; post cum in perturbatum corporis domicilium commigrassent, oblitos esse eorum, quae antea sciverant, reminisci tamen sensuum usu, alios facilius, majori negotio alios, prout cuique maior aut minor sit cum corpore conjunctio; neque discere hic nos quicquam, sed reminisci, et eos, qui docere viderentur, revocare tantum ac redigere in memoriam ea, quae nobis, antequam nasceremur, cognitissima erant. Reminiscimur autem sive veritatem intelligimus hac ratione, ut ideam recuperemus, quae efflorescit ex multitudine rerum sensibus percepta et agitatione mentis in unum collecta, sive ut ex simulacris phantasia receptis ad effigiem penetremus mente apprehendendam. Animi autem cum corpore conjugio hanc facultatem turbari, ex hoc clarissime patet: quo propius enim ab ortu absumus, eo magis ad sensus omnia referimus sensibusque et phantasia tanquam mente utimur, quo autem magis corpus corroboratur et isti eius quasi fluctus consistere incipiunt, eo magis illae quasi scintillae mentis intus elucent, eo fervidius existit veritatis et sapientiae studium, eo magis alta, magnifica et divina suspicit animus. Sed hoc quidem impedimentum nixum est legibus humanae naturae. Quid vero? Ii qui in foedissimo eodemque tenacissimo corporearum cupiditatum coeno haerent et habitant, et quasi clavis quibusdam, ut ait Plato, terrae affixi sunt, isti, inquam, nonne argumentum praebent certissimum, animum, quo magis in turbulentos corporis et sensuum fluctus se immergat, eo magis divinorum expertem fieri, quo autem minor cum corpore iisque omnibus, quae cum corpore conjuncta sunt, ei sit conjunctio, eo illum facilius ad coelestia et divina adspirare posse? Quod si autem nos ipsos videre voluerimus, videbimus, quaenam sit causa, cur, quum nobis omnibus mens ingenerata sit, paucissimis tamen hominibus datum sit, mente in illis tam sublimibus rebus tamque arduis uti. Nimirum nos homines maximam partem corporis vitiis oppressi sumus, sensuumque praestigiis cum nos ipsos fraudamus tum ab aliis fraudamur. Sequitur porro ex hisce, ut vere philosophi nonnisi ii esse possint, qui puro et ab omnibus libero cupiditatibus animo coelestem quandam in terris vitam agunt, quique, quoad eius fieri potest, cum humanis divina copulant, et mortalitatem suam, quantum illius imbecil-

litas patitur, divinae naturae arctissima colligatione devinciunt. Itaque, quos semel sapientiae amor, ortus, ut docet Plato, ex coelestis vitae nostrae memoria, tanquam penetrabili quodam telo, usque ad ipsam animae medullam transfixit facibusque suis perussit, ii, vere sacram divinae mentis imaginem se esse agnoscentes, ii, inquam, sunt, qui, revocato sensim ac pedetentim a sensibus animo, deserunt mortalem hancce et fluxam naturam, qui omne studium in alendis et excitandis mentis seminibus et igniculis consumunt, ii sunt, qui rectis oculis se intuentur ipsos, omniaque, quae non ad ipsum pertinent animum, contemnunt et pro nihilo habent. Quod quo magis aucta indies diligentia agunt, quo magis, corpus et sensus si spectas, ipsi sibi quasi evanescunt et dilabuntur, eo ipsis magis elucet et apparet cunctus ille, quo omnia continentur, idearum concentus quasi atque consensus; et quo maiora eorum negotia, quo maiores fuerunt labores in mortis vel potius solidae, verae immortalisque vitae commentatione, eo compensantur augustius, eo magis aeternarum divinarumque rerum copia pectus oneratum et completum habent, eo magis apprehendunt mente Deum, apprehendunt aeternas illas rerum formas ab omni contagione materiae separatas, apprehendunt mundi eorumque, quae illius ambitu continentur, primordia, caeteraque eiusmodi, quae multis magnisque obscuritatibus involuta et in intimis rerum omnium parentis, naturae, recessibus demersa penitusque abstrusa latent. — Ostendi hisce Platonis philosophum; declaravi conjunctum in illo religionis et scientiae studium, quo et Deo se assimilare conatur et veritatem venatur. Platonis igitur philosophum ostendi? Immo vero ipsum exhibui Platonem; qualem quidem eum fuisse, expressa eius libris animi forma ac natura praeclare indicat. Scientiae vero studium cum religionis studio conjunctum esse, inde intelleximus, quod scientia vera nullo pacto esse potest, nisi in iis hominibus, qui, licet inclusi in corpore, erecta et excitata mente foras eminent eaque quae extra sunt contemplantes Deoque se assimilare conantes, quam maxime se a corpore avocare student. Quemadmodum autem illud demum religionis studium, quod cum scientiae studio conjunctum est, summam nobis sapientiae arcem aperit, scientiae vero studio qui mentem non excoluit, neglectaque mente ac ra-

tione ad divina sese confert, in divinis vera non nisi obscuro sensu percipit facillimeque fanaticus aut superstitiosus fiet, sic scientia ipsa, cuius ope sub idearum luce contemplamur divina, exculta demum et mente et ratione comparatur. Scientia enim duabus efficitur animi facultatibus, quarum prima mens est, altera ratio. Ac de mentis quidem officio quum satis multa a nobis disputata sint, ne longius abeamus, summam eorum, quae adhuc dicta sunt, paucis comprehensam complectamur. Mentis igitur facultatem qui, quantum id quidem in hominem cadit, excoluit, is intelligit, res ad unam omnes in Deo ab omni aeternitate conjunctas esse, Deum omnes ideas infinita unitate amplecti, intelligit interiorem naturae conjunctionem, omnia aptantem et colligantem, patefactam videt, quae in rerum universitate ad artis formam expressa est, perfectam Dei naturam, videt, hunc, qui oculis cernitur, mundum nil esse aliud, nisi similitudinem et imaginem, ex ore quasi expressam earum specierum, quas ipse mente complectitur, quae ipsae in se vigent, videt eandem illam vim artificem, quae extra se omnia procudit, in se quoque vivere et dum efficit, ut sensus mundum intueantur, iterum eum effingere. Mens omnia ad unum revocat, mens unum agnoscit deum, unum mundum, dei imaginem, unum et infinitum animum, divinam mundi mentem, unum corpus per omne spatium intentum et animatum, rerum, quae sub oculos cadunt, naturam, unam cognoscit vitam, unam denique veritatem; e contrario omne dissidium speciem esse statuit, omni multitudine unam eandemque patefieri intelligit naturam immortalem, gradibus nixam infinite variis. Atque haec quidem mentis est conditio. Videamus de ratione. Rationem igitur si audis, omnia discreta sunt; veluti rerum formae sive ideae, tanquam notiones, cum a rebus ipsis, tum ipsae inter sese differunt, ut animus a materia abhorret, anima a corpore, deus a mundo, res ipsae a forma, et quae eiusmodi sunt alia; ut verbo dicam, omnia exteriorem tantum rationem habent et fortuita connexa sunt conjunctione. Rationis enim est separare: cum hac autem rationis vi, qua animus singula attendit, qua distinguit et separat, ea conjuncta est, qua abstrahimus communia. Distinguit autem ratio ante omnia in contemplando inprimis ea, quae extra sunt, ab iis, quae ipsius hominis animo

continentur, eoque separat formas rerum ab ipsis rebus, vel, si quaeris, notiones informat, quas partim extrinsecus impressas a visis fortuito objectis, partim propria diligentia acquisitas habere sibi videtur. Proinde eo tendit ratio, ut separet, ut disjungat, ut dividat, dirimat et in infinitam distribuet multitudinem; cuius e judicio universus mundus infinita est multitudo rerum a se sejunctarum, universitas ille quidem, sed non propter divinam animationem, neque necessitudine singulorum eius membrorum effecta, sed coacervata tantum exteriori quadam conjunctione partium reapse seiunctarum, per vim ac naturam divinam, a natura prorsus remotam, gradatim et pro lubidine coacta. Itaque ratio per se sola non ea est facultas, qua homo veritatem intelligit, qua et se ipsum et Deum ac naturam rerum cognoscit: mentis hoc munus. Ratio sola hominem in errores inducit, mens eum et sibi ipsi restituit et ad veritatis contemplationem revocat. Ratio est mentis defectio; mente mortales dii sumus, ratione, abalienati a deo, homines sumus. Sed quum omnia nisi opposita non revocari possint ad certam stabilemque scientiam, quo mens se ipsa cognoscat, ratio mentis administra et comes adsit et colatur necesse est. Neque enim unitas multitudine et varietati non opposita, neque ipsa vis multitudinis, unitati non oppositae, perspicitur. Itaque mentis cultus sine rationis cultu esse nullo pacto potest, sed, e contrario, omnis cultus rationis destitutus mentis cultu praestigiae sunt. Restat, ut exponam, quid, neglecta mente, si ratio maiorem nacta fuerit auctoritatem, homo consequatur. Consequitur ille quidem, ut rem significemus magis quam accurate persequamur, magnam vim et copiam notionum, magnamque exercitationem in earum usu ad vitam communem, facultatem etiam alia cum aliis connectendi, acutum denique judicium ad perspiciendas et explicandas res humanas; sed idem parum habet intelligentiae, quam sola comparat idearum contemplatio, summa laborat penuria divinarum rerum, quam ille solus non sentit, cuius mens ita erudita est et instituta, ut rationem apte sibi subigere possit, eaque tanquam instrumento utatur ad ea, quae vult consequenda. Sed mens ratione maiorem si nacta fuerit vim, quid tandem accidit? Illud accidit, ut animus nimio quodam aestu abripi et abstrahi se patiatur a via, quam ingressus est, dul-

cique in rebus divinis furori nimis indulgeat, quo fit, ut philosophi, qui hoc pati videntur, in ipsa scientia mystico, quod mirum videatur, studio indulgere haud raro insimulentur. Quod autem dico, mirum hoc videri, id huiusmodi est: mysticum studium, veram verbi vim si quaerimus, illud est, quo, quae in religionis ac scientiae studio cognita et percepta sunt, ita traduntur atque tractantur, ut vel omnino obscurentur, vel certe eo splendore, qui est inter lucem et umbram, illustrentur, neque collocentur in bono scientiae lumine, quae singula decreta, ratione et arte conclusa, in lucem adspectumque profert, aut tanquam fundamenta ponit in placitis ad artis formam compositis, qua demum ratione perspicuitas et evidentia efficitur. Ex quo facile colligitur, scientiae studium sive philosophiam contrarium esse mystico studio. Id enim philosophiae munus est, ut mysticum funditus tollat studium, ut aenigmata naturae rerum vitaeque humanae solvat, caliginemque a rerum natura, sicubi offusa est, luce sua dispellat. — Sed ea, quae de scientiae ratione dicta sunt a nobis, hunc tandem habeant terminum: ex illo excultae et rationis et mentis quasi concentu et consensu vera efflorescit scientia; quam qui assumta comite religione assecutus est, is summam sapientiae arcem attigit, is demum vere eruditus, absolutus et perfectus est philosophus, ei denique nullum ad ipsam veritatem e coelo devocandam et in hominum pectoribus collocandam deest instrumentum. Sed hoc sicut nondum cuiquam assequi contigit philosopho, ita dubium non est, quin eorum, qui id prope assecuti esse dici possint, primus sit Plato: et quemadmodum junctum in Platone religionis et scientiae studium in eius scriptis omnia ea nobis procreavit, quae non fabulosa sunt, sic certissimum mihi et exploratum est, omnes apud Platonem fabulas inde exortas esse, quod eius mens, occupata religionis et veritatis studio, rationem non dico reliquerit, sed tamen paullulum a nimia eius necessitate se relaxaverit. Atque hac de re fusius jam et uberius mihi dicendum est, ut in qua caput quaestionis de fabularum platonicarum causis et natura versatur.

Comparari omnino potest contentum in philosopho studium speculandae et venando quasi indagandae veritatis laborioso itineri cuidam aut cursui in altissimum directo locum. Incitamen-

tum adest in eius animo insatiabilis quaedam cupiditas veri videndi, quae in optimo quoque maxime exsistit. Finis itineris veritas, idearum regio, Deus; iter scientia. Philosophus juncta mentis et rationis vi provehitur; mens est quasi alacerrimus quidam equus, rationis propria pigritia quaedam; reficitur autem mens et recreatur divino quodam, ratio terreno pabulo; ac mens quidem tanquam frenis eget, ratio calcaribus; neque enim ratio si mentem retardaverit, neque mens si rationem incitatiori cursu secum rapuerit, rite iter conficietur. Causam autem si quis quaerit, quamobrem rationi id sit natura insitum, ut ad citeriora semper tendat et reflectatur, mens ulteriora semper desideret et ad ea incitetur, hoc sibi teneat: rationem quidem e domestica sede in alienam proficisci, mentem, ex naturali sede nescio quomodo in locum alienum translatam, ardentissimo studio illuc reverti studere. Et talis quidem est itineris ratio, quod philosophus facit; qui, cum eo, quo diximus modo rite progreditur, scientiae tenet cursum. Sed sudoris et desperationis plena haec res est; hac parte etiam atque etiam instat et urget mentis vis philosophum, ut nullo jam intermisso temporis spatio quam primum ad ipsam veritatem se ab ea deferri patiatur: illa parte ratio philosophum menti se commissurum e conatu ipso revocat, qui eius hanc fere vocem audire sibi videtur: «Me si non audieris, veritatem nunquam videbis! Scientiae viam sequere, quae sola tibi ad veritatem aditum parat!» Itaque committit philosophus, ut mentis vis ab impetu refrenetur ac coerceatur, refrenata autem cum ratione copuletur; tum idem qui antea cursus progressusque in scientiae via. Saepe autem et illud accidit, ut si ratio pabuli tantum sumpserit, ut eius vires non reficiantur, sed ut obruantur, mens autem minus quam par erat acceperit, ratio torpens et defessa et se et enecatam fere atque confectam fame mentem desidiae dedere incipiat. Ac tum sane actum esset de philosopho, si non mens quasi jam moribunda et desperationis plena, conditioni suae ingemiscens diceret: «Nunquamne tandem ego misera ortum revisam meum? Nunquamne in oras locorum illorum, ex quibus detrusa sum, restituar, et postliminio, unde profuga erro, eo redibo? An vero hic exstinguar?» His verbis quasi ex somno excussus, philosophus anxius succurrit menti, quae, simulac

suo pabulo refecta est et recreata, erigit se atque exsurgit, miraque ad reliquum iter persequendum alacritate incitat languentem atque commovet rationem. Sic demum philosophus, mente et ratione pristinum nactis vigorem, et vicissitudine illa cum incitationis tum refrenationis restituta, scientiae viam acrius semper persequitur, semper magis ulteriora petit, altius e citerioribus emergit, evehitur. Quo autem propius mens a fine abesse se putat, eo illam maiores divini afflatus concitant et inflammant, eo acrior fit finis exspectatio, eo magis futuri quasi provida fit spectaculi; et quo magis rationis vires diminuuntur — pabulum enim ei deest in altis locis — eo, inquam, magis liberata mens maioribus reviviscit viribus, et, decurrens primum scientiae viam, trahit, aufert, abripit nolentem rationem, deinde maiori semper exsultat gaudio, quasi jamjam liceat exspatiari in immenso illo; tum ipse philosophus, oblitus, nisi et ratio et mens pro sua quaeque natura cursum teneant, scientiae iter rite se conficere non posse, relaxat aliquid mentem a nimia hac, ut ei videtur, necessitate; quod ut sensit mens, emicat, alisque phantasiae, quae adhuc ratione compressae erant, explicatis, repente quasi aestu quodam cum ratione philosophum procul a scientiae via omninoque a terra abripit atque, hanc ad summum montem proximam et quasi compendiariam rata viam, sursum subvolat in aethera et in *dias luminis auras*. At quo magis coelesti loco et veritatis ortui mens se appropinquat, eo magis imminuitur vigor phantasiae alarum, quae, quum et ipsa quoque pariter ac mens vim quandam divinam natura habeat insitam, tamen, quum origine terreni quid traxerit, quo magis mens a terra recessit, eo minus eniti valet altius et, absumptis tandem omnibus viribus, prolabitur. Itaque mens, reluctans illa quidem et aegre patiens ipsius veritatis fructum sibi auferri, tamen nutu et pondere phantasiae pariter ac rationis in terram recidit, et quum haud multum quidem abfuerit, quin ipsam veritatem in coelesti illo et altissimo loco conspiceret, tamen illo lapsu turbata, plene et cumulate perficere, quae conata erat, non potuit: sed ecce philosophus, in terram delapsus, veritatis ipsius amissae remedium et solatium, secum refert fabulam, natam ex illa fere plena contemplatione rerum divinarum; qua recreatus, quod nondum rite absolutum erat curriculum ea qua diximus

ratione conficere conatur, experiens, si forte aliquando ad ipsam veritatem pervenire possit.

Sequitur, ut, quae per ludum et jocum significata magis sunt quam explicata, nunc demonstratione declarem; quod statim faciam, si prius id subjecero, eum, de quo fabula narrat, philosophum, ipsum quidem esse divinum Platonem. Quivis tamen philosophus, et quidem quo quis magis ipsius Platonis rationem sequitur cumque illo sapientiam amat, eo magis idem sibi, quod illi, accidere, verisimiliaque esse, quae fabula illa narrat, fatebitur. Eodem modo accipi velim ea, quae continuo dicturus sum, ut, quum de philosopho in universum exponam, omnia tamen ad Platonem potissimum cogitatione referantur, de aliis autem philosophis ea tantum ex parte dicta accipiantur, quatenus cuiusque eorum ingenium Platoni sit simillimum. — Vidimus, in philosopho conjunctum esse studium religionis et scientiae: vidimus, illud maxime versari in sui ipsius i. e. mentis, divinitatisque contemplatione, in excolenda divina hominis natura et in abjicienda mortali: vidimus porro, scientiam sive philosophiam sine consensu et concentu mentis et rationis in veritatis investigatione effici non posse. Fieri autem aliter non potest, quin homo, qui sapientiae est amans, quum in conjunctum religionis et scientiae studium dies noctesque incumbit, mente aliquando ita corroboretur et augeatur, ut jam jamque illud perfectionis curriculum confecisse videri possit, quod qui confecerunt, absoluti omnibus numeris homines i. e. Deo sunt facti simillimi. Sed philosophus, qui junxisset ille quidem religionis et scientiae studium, sed ita junxisset, ut, quae mens religionis studens ex reconditis atque abditis divinae veritatis fontibus prius hausisset, ea semper suppeditaret sociae rationi, quae accepta explicans et interpretans, ita demum scientiam conficeret, idem igitur quum ipsam veritatem mente concepisse et complecti sibi videtur, quumque, relicta fere ea natura, in quam humana cadit demonstratio et ratio, totus jam collocatus est in ipsa divina natura, cuius in consuetudinem mens sola penitus se insinuat, quam ratio contra, etsi seminibus illinc petitis scientiam efficit, nunquam tamen ipsam explicare et interpretari valet, — tunc, inquam, quonam tandem modo ea explicare conabitur, quibus exprimendis omnis impar est ratio? Oratione, inquit, exprimet, quumque orationi et iis rebus, quae

oratione tractantur quaedam inter se cognatio intercedere oporteat, consequitur, ut ad res divinas pro dignitate tractandas divinum quoddam requiratur orationis genus: divino igitur orationis genere philosophus eam, quae in mente insidet, undique expletam et perfectam divinae veritatis speciem in lucem proferet. Praeclare sane sentis de homine, perfecto illo quidem et vere divino, sed homine tamen, qui ea illi concessa putes a natura, quae solius propria esse videntur dei. Sed elaborabo, si quid forte remittas de isthac tua sententia, nimis magnifica et grandia etsi in perfectum philosophum congerente. *Orationis* igitur quum id maxime officii sit, ut *rationem* intus reconditam lingua expromat, quumque reapse quidem eadem utriusque natura videatur, diversa autem sit, effectum si spectas; utraque illo quidem respectu apud Graecos recte uno eodemque λόγου nomine comprehensa, recte item hoc respectu utraque nomine discreta fuit a Latinis. Jam, quum philosophus ea scientiae mysteria enuntiare conatur, quae nulla ratio explicare, evolvere et in medium proferre potest; num verisimile est, λόγον in hac re ab eo adhibitum iri? Annon quidvis potius, quam λόγος a philosopho, illud agenti, exspectandum est? Minime ergo, qua vulgo et ipse et alii in scientia explicanda utuntur oratione, eadem nunc quoque utetur. Certe igitur, inquit, quoniam non ex humana consuetudine docebit, ex ea, quae divinam decet naturam id faciet: et quo puriora omnia atque diviniora mente percipiuntur, ratione autem humanae naturae accommodantur, hoc certius diviniore omnia docebit orationis genere. Audio. Sed concedas mihi velim, ut, si hoc serio dicis, porro meliora te edoceam. Neque enim ullus homo, quantumvis ille se mente supra mortalem conditionem extulerit, et in terris coelestium vitam imitetur, eundem tenet gradum, in quo constitutae sunt purissimae illae mentes ab omni corporis societate secretae, quae sine ullo sensuum adminiculo ac ministerio simplicissimis notionibus, quaecunque ipsis in regione intelligibili ad intelligendum objecta sunt, apprehendunt. Omnes enim omnino homines ea orti sumus conditione ac lege, ut primum sensibus et phantasia utamur speciemque et imaginem veritatis cognoscamus, post mentis ope veritatem recipiamus, et sic sine sensuum ministerio ad cognitionem et scientiam pervenire non pos-

simus. Viguerit licet, ex Platonis placito, olim integer animus humanus in contemplatione regionis intelligibilis, nunc quidem illius cognitio nobis hominibus aliter non comparatur, quam ex contemplatione et sensuum ope effecta cognitione eorum quae sunt in hac regione adspectabili: sit sane omnis scientia, quatenus solis ideis nititur, orta in nobis memoria eorum, quae vitam adhuc coelestem degentes cognoveramus, ista ipsa memoria num tandem aliter est adulta, quam perceptis sensu et phantasia iis in terra formis atque corporibus, quae sub adspectum veniunt, quae sine sede, sine loco intelligi non possunt? Sensum aliquem velut videndi si cui a primo ortu natura denegavit, idem necessario ad scientiam pervenire non potest. Haec est omnium hominum omnisque humanae cognitionis ac scientiae conditio. Quivis philosophus, quantumvis magnos ille progressus fecerit, suisque in studiis veritatem, omninoque eam naturam, quam solam divinam nuncupare fas est, ut nemo alius mortalium, mente complexus sit, ab humanis tamen profectus initiis, infans et puer ei consuevit naturae, quae eius, quam nunc intelligit, non nisi simulacris caecisque imaginibus, sive externa spectas, sive ea, quae animi sunt, continetur, infans et ipse sensu ac phantasia tanquam mente usus est. Et, ut agnoscas, quanta sint vestigia primae consuetudinis, mentis cum sensu et praecipue cum sensu oculorum magna quaedam est similitudo, unde et saepe oculum mentis vocamus: et dictum est, id esse mentem in animo, quod oculum in corpore: et, quod non raro fit, sensus ac mens interdum confunditur. Ut enim sensus, ita mens quoque extremorum est: sed sensus eorum, quae inferiora sunt demonstratione, mens eorum, quae omnem demonstrationem fugere videntur. Quid? quod iis, qui mentis aciem ab oculorum et sensuum consuetudine revocare non studuerunt, de deo ipso cogitantibus alia nulla nisi hominis occurrit species, ita ut de deo nil nisi constituta hominis figura naturaque cogitare possint, denique aperta mens et simplex, nulla re adjuncta, quae ab humana translata est natura, fugere intelligentiae eorum vim ac notionem videatur. Et, ut tandem ad ea, quorum causa haec dicta sunt, revertamur, nosque ad philosophum in altissimo illo, quem vidimus, gradu constitutum rursus conferamus, hic igitur pristinae istius infantiae et imbecillitatis vesti-

gia ipse quoque plane delere nequit. Nimirum ille etsi mente, vero religionis studio dedita, continuo provectus fontes aperuit, unde omnis scientiae vis manat, eaque eruit, quae quum, descendens quasi ad vitam humanam, ac ratione instrumento usus, componit, persequitur, conficit, scientiam demum absolvit, qua emendantur et corriguntur falsa et prava, augentur et aluntur recta, bona et vera, denique divina copulantur humanis: — idem tamen huius tantae tamque praeclarae scientiae divina initia, quibus ad humanam intelligentiam plane revocandis nunquam satisfacit ratio et scientia, mentis solius ope per orationem patefacere nequit: sed, ut agnoscas, hominem eum esse, phantasia, tanquam mentis interprete, uti coactus est. Quod quomodo fiat, eo liquidius perspiciemus, si phantasiae facultatem hoc loco diligenter explicaverimus. — Triplex phantasiae est ratio, simplex officium, rerum imagines in animo procreandi, quod tribus diversis efficitur modis. Aut enim earum rerum, quae extra praesentes adsunt, imagines procreat, simulac illae perceptae fuerunt, quibus extrinsecus receptis simul illas res animo complectimur: aut comprehensas semel eas res, quae extra exstant, etsi eae absunt, cogitatione denuo effingimus: aut denique ipsi omnis generis notiones conflantes novarum imagines rerum cogitando concipimus et producimus. Et quum nihil quidem horum omnium sine phantasia, sive ea animi facultate fieri possit, qua imagines rerum concipimus, tamen praecipue eam facultatem phantasiae nomine notamus, qua novae imagines cogitatione pariuntur et procreantur, et in qua omnis haec depingendi facultas, quam phantasiae nomine complectimur, summum nacta est vigorem prudentiamque. Novas autem imagines cogitationem procreare et gignere quum dicimus, hoc non sic accipiendum est, quasi illae imagines omni omnino careant fundamento naturae et eius quae sensibus continetur vitae. Itaque, quamvis phantasia ea cogitationis facultate superior sit, qua res semel sensibus perceptae denuo finguntur, tamen eadem nititur et ab ea quasi uber fit et fecunda, sed, ut haec experientiae se applicat, ita illa, relicta experientiae severitate, relaxat se et remittit. Agit autem phantasia duplici fere ratione: aut enim sine voluntate temere et fortuito secundum solas eas leges, ex quibus conformationes animi consociantur, aut ad consilii cuius-

dam normam prudenter se dirigit, ac rationis voluntati paret atque obedit quodammodo. Posterius ubi fit, conformationes animi et ipsae duabus fere rationibus consociantur: aut enim id accidit, ut iis consociandis certi a rationi constituti sint fines, aut ita rationi haec consociatio adstringitur, ut eius non nisi communes leges observet, neque omnem rationis finem et modum transeat. Itaque illic quidem certo fine impedita est haec consociatio, hic autem non circumscripto consensu cum consilio regi se patitur. Sine hac phantasiae facultate, qua libere et conspiranti tamen cum consilio consensu viget et viret, elegantiora artificia locum habere omnino non possent. Sola haec ea est facultas, qua homo rerum formas i. e. ideas, quas mente complectitur, effingere et imaginibus, quae quasi corpus quoddam membris apte compositum conficiunt sensibusque admoveri possunt, quasi ingenerare valet. Omnis fingendi ars, sive ea in oratione sive in pictura sive in signis exprimendis versatur, phantasia nititur, a mente, quae sola specierum capax est, incitata. Et quum omnis vitae vigor tum demum perfectus sit, quum sensus et animi quasi concentus consensusque exstitit, sequitur, ut quo magis eae facultates, quibus animus maxime continetur, quibusque et capimus imagines et exhibemus — mentem dico et phantasiam: — sequitur igitur, ut, quo major harum facultatum vis sit et conjunctio, eo melius eius, quae intus viget, vitae imago exprimatur, eo aptius composita et perfectior prodeat forma, qua tanquam corpore induitur, quae in mente artificis infixa est, summae pulcritudinis species. Omni enim artis operi proposita est pulcritudo, cuius speciem pectore capit artifex, captam artificio, tanquam signo, ostendit. Sed quum omnis artifex, et quidem quo magis ad perfectionem operis adspirat, eo magis ad pulcritudinis speciem artem dirigat, nullum tamen opus per se spectatum ipsam continet et exhibet pulcritudinem (quae infinita est, et, quamvis eam omnino consequi nequeas, omnibus proposita tamen est), sed ea tantum ex parte ipsa pulcritudo exhibetur, quoad cum singulis rebus conjuncta est. Phantasiae porro cum mente conjunctae magna vis est ad hanc pulcritudinis speciem, undique expletam et perfectam, in mente artificis quasi constituendam. Mens enim, dum phantasia singularum formas et imagines rerum recondit, sin-

gula ad universa revocat. Quum igitur mens in suppeditatis a phantasia singularum rerum formis notas ad rei naturam pertinentes, detractis iis, quae cum illis temere conjunctae sunt, servat et exhibet, tum prodeunt opera singularis generis ad optimam speciem expressa: detractis porro iis, quae huius generis propria sunt, et non nisi iis reservatis, quae universa sunt et communia, proferuntur opera sublimioris generis. Hac ratione quum mens juncta cum phantasia in singulis ad universa revocandis et redigendis perpetuo pergit, pervenit tandem ad ultimam et perfectam totius generis formam atque speciem, quae nulla detractione expoliri potest, quam neque oculis, neque auribus, neque sensu ullo percipere possumus, cogitatione tantum et mente complectimur. Ex hac quicquid in aliquo genere perfecti exstat, ut ex ore aliquo quasi imago, expressum est. Haec pulcritudinis species ubi semel in artificis mente eluxit, nihil amplius artifex respicit, e quo similitudinem ducat, sed in illam perfecti speciem ipse quidem intentus est et defixus, manum vero et artem in exprimendis et exhibendis formis et imaginibus, quas novas et dignas tam augusta specie phantasia condit, ad illius similitudinem dirigit. Et sic denique perfectissima illa exhibentur opera, quae, quamvis iis pulcrius sit illud unde expressa sunt, eadem tamen in suo quodque genere illud effingunt, quo nihil esse potest praestantius, quodque in perpetuitate singularum artium fere nunquam, in aliqua autem parte elucet aliquando, idem in aliis densius, in aliis rarius. — Quorsum igitur spectat longior haec expositio, qua disserimus, quid phantasia juncta cum mente efficiat in artifice? Quorsum? ut liquidius perspiciatur, quid tum eveniat, quum philosophus phantasia, tanquam mentis interprete, utitur, deinde ut eo quo decet modo fabula aestimetur. Itaque unde paulo ante deflexit oratio, eodem nunc revertatur. — Finge igitur cogitatione imaginem philosophi in eo, quem supra informavimus, ordine constituti, vel, si quaeris, ipsius divini Platonis imaginem in conspectu animi ponito. Finge illum tibi, non, ut caeteros mortales, a humilibus et humanis occupatum negotiis mortalique immersum naturae, sed emersum omniaque et humana et divina uno in conspectu videntem; finge illum tibi intentum et defixum in absolutissima illa et aeterna omnis virtutis, pul-

critudinis, sapientiae, omniumque horum similium exemplaria, quae mente impressa gerit; videte illum reapse versantem cum veritate, cum divina natura, quae ipsis illis summae perfectionis et absolutionis speciebus continetur in iisque cernitur. Haec ille intuens atque suspiciens, quum, considerans idem rursus citeriora et humana, explicare animum inducit, quatenus in rerum natura omnia ex divina illa natura, tanquam ex exemplari, ducta sint et propagata, quum exponere instituit, quomodo omnia ad similitudinem divinitatis effecta sint; ipsa denique divina natura, quatenus specie ab hac nostra differat, quum docere conatur, tunc quid tandem accidit? Illud, inquam, accidit, ut philosophus, dum illa omnis scientiae mysteria aperire conatur, quibus ad humanam intelligentiam plane revocandis nunquam satisfaciunt ratio et scientia, ea mentis solius ope patefacere nequeat, sed phantasia, tanquam mentis interprete, uti coactus sit. Itaque philosophus, sive ille ad humanam naturam respiciens ostendere conatur, quomodo ex divina natura propagata cumque ea conjuncta sit, sive totam hanc rerum creatarum universitatem ex divino exemplari iterum procudere aggreditur, sive denique alia eiusmodi munera efficere molitur; quaecunque mente divinorum contemplatione gravida concepit, ea pura ipsa in lucem producere prorsus nequit, sed priusquam, quae parturit, parit, phantasia mentis tanquam obstetrix et adiutrix exsistit, et tum demum mentis foetus, fabula, producitur. Sed hac ipsa re philosophus, dum divina molitur, humana patitur, in ipsa copia et abundantia summa tenuitate et egesta laborat, in explicandis rebus gravissimis maximeque seriis vere infans apparet, ipsam veritatem non nudatam, sed integumentis involutam dissimulationis invitus ostendit, eum, qui vere λόγος esse debebat, non nisi μύθου specie indutum in medium profert. Tum, quum phantasia menti, parturienti illa, quae diximus, obstetricis opem praestat, tum, inquam, reconciliantur quidem divina humanis, coelestia terrenis, atque concors efficitur et congruens utriusque naturae concentus, pulcritudinis et decoris plenissimus; sed simul illud accidit, ut philosophus illud assequi nequeat, quod Timaeum dicentem meminim, ut orationi et iis rebus, quae oratione tractantur, quaedam inter se cognatio intercedat; itaque tantum abest, ut philosophus rerum divinarum

dignitatem divino orationis genere consequi possit, ut deficiens ad fabulam confugiat divinaque humano explicet orationis genere. Itaque tum non solum divina ad humana transferuntur humanaque ad divinam dignitatem augentur, sed etiam divina humanis similibus, a phantasia fictis, in conspectu animi ponuntur; tum quod infinitum est et immensum, eius quod finitum est et circumscriptum imagine exprimitur; quae temporis et loci angustiis conclusa non sunt, iis effinguntur, quae conclusa sunt, et quae semper fiunt, tanquam facta narrantur; tum, quae non nisi mentis aciei patent, in oculorum conspectu ponuntur, expressa iis, quae in sensus cadunt; tum, quod a mortali concretione segregatum est, iis depingitur, quae mortalitas consequitur; quae corpore vacant, corporeis illustrantur; loco et natura quod segregatum non est, segregatur; fixa quae stant et firma, loco moventur; denique alia fiunt eiusmodi innumera. Quid enim nunc attinet singula persequi, quum in universa et communi fabularum platonicarum natura patefacienda versemur, quo semel perfecto is, qui singulas fabulas respexerit, omnia plena esse exemplorum sentiet ad ea quae diximus probanda et confirmanda, singulaque cuncta patefacta videbit. Sed, ut ea, quae adhuc docuimus complecti possimus iisque nova quaedam adjungere, apta nunc aliqua comparatione utamur.

Plato igitur, ubi fabulas condit, similis omnino mihi videtur artifici, eique divini cuiusdam ingenii, qui naturam et hominis et mundi depingit, ita quidem, ut eam paene in conspectu animi ponat, quoque modo et quatenus ex divina illa natura, omnium rerum formas continente, ducta sit et pendeat cumque ea sit conjuncta, planissimum faciat. Ipsius quidem divinae naturae species revera in eius mente insidet, in pictura autem non nisi simulacris expressa comparet, iisque a conditione humanae et totius huius in qua versamur naturae repetitis: non raro quidem admistas et contextas conspicio deorum formas, quae non ab artificis ingenio excogitatae et fictae sed aliunde assumptae sunt: sed ita eas ab artifice adhibitas video, ut, quae alibi, ab aliis deterioris ingenii pictoribus inventae, exstabant nescio quomodo ratione privatae, eaedem, alia supposita ratione et ad artificis consilium prudenter accommodatae, apte nunc videantur esse collocatae, et sociatae cum aliis, ab ipsius mente

pictoris profectis, partes suas non inepte agant. Rursus quod humanae naturae divini decoris additum est, ipsum quoque, non divinis sed humanis illustratum similibus, ostenditur. Sed omnino humana nescio quomodo ornata et aucta video: omnia vere apparent divina, neque tamen me latet, aut artificem naturae specimina ex optima quaque re capere, aut hanc artis summam esse, ut divinorum et humanorum concentum efficiat et singularibus ad universa, quae tantummodo ad mentem valent, revocandis, haec illorum quasi integumento involvat; ea denique in mente mea penitus insedit sententia, vulgarem veram non esse vitam. — Sed sicut pictor unum idemque propositum vario modo illustrare potest, ita Plato in variis rerum generibus explicandis fabula utitur, unde varia existunt fabularum genera. Itaque nos illa rerum genera deinceps distinguamus, ut quae ex quoque genere fabula efflorescat, appareat. Ac primum quidem ex iis quae hactenus dicta sunt quisque intelligit, nullum fabulae genus esse posse, quin id ad divinam naturam magis quidem minusve, sed referat tamen eas res, in quarum natura explicanda fabula versatur. Itaque, ut hoc primum genus ponamus, quum philosophus ipsam divinam naturam ad humanam intelligentiam ea quam aperuimus via revocare studet, et, qualis ea sit, explicat; tum *theologica* sive, ut hoc utar verbo, *religiosa* existit *fabula*. Cum vero, qualis sit natura divina, semper ita fere explicetur, ut, quae efficiat, exponatur, neque facile unquam alterum ab altero sejungi possit: porro quum omnia fere, ut diximus, a divina causa propagata fingantur, sequitur, ut hoc fabulae genus nunquam secretum sit et per se proponatur, sed, ut est natura conjunctum cum omni fabularum genere, ita cum omnibus conflatum sit fabulis. Sed, ut caetera fabularum genera describamus, quum philosophus studium in contemplatione humanae naturae collocans, hominis partiumque, ex quibus concretus est, et corporis et animi, bonae eius malaeque indolis, virtutum, vitiorum, appetituum, — horum igitur similiumque, quorum in doctrina de animo quaestio est, ortum quum a fonte quasi repetere conatur philosophus, sive ille hunc ortum ita informat, ut illa, a divina causa profecta, ab omni aeternitate etiam nunc instituta esse appareat, sive, aeternum divinumque esse hominis animum docens, ex vita eius coelesti, quae in ho-

mine explicanda sunt, explicat; quamcunque tandem, illud agens, rationem init, eius *fabulae* generis, quod cum *philosophia de anima* conjunctum est, *prior* exsistit *pars*. Quum vere philosophus, non contentus, retrospectans praesentia humana cum divinis copulasse, bifrontis instar Jani, futuras quoque res respiciens praesentibns annectit atque conjungit, neque orientis solum sed etiam occidentis partes simul prospicit i. e. quum non solum quae animos ante ortum attingant ad eosque pertineant, et a quibus causis natura hominis in hoc, quem vitam dicimus, statu repetenda sit, docet, sed etiam patefacere conatur, quinam sit ille status post hanc vitam, quum animus corpore excesserit, divinandoque quasi assecutum se esse putat, animi qua in sede maneant, qualesque sint, quaeque ex bene aut male hîc factis, illîc ad animum redundent commoda vel mala, et ad moralem et ad naturalem eius conditionem spectantia: — de hisce igitur quum philosophus exponit, tum *altera pars* eius fabularum generis existit, quod cum *philosophia de anima* conjunctum est. Jam *tertium* fabularum philosopharum genus secernamus. Nimirum quum philosophus, mente indagans initia et tanquam semina, unde omnia sunt orta, generata et concreta, eo progressus est, ut tandem aliquando invenisse se et e tenebris eruisse putet causas, universitatis rerum effectrices et conservatrices, ac, tanquam alter naturae auctor, coelum, terram omnesque, quae in ea sunt, res, condere et moliri conatur, tum *fabula* existit *cosmogonica*. *Quartum genus, physicae fabulae*, subjectum habet argumentum singulas res in rerum natura conspicuas, leges et conditiones, quibus hae terrae continentur, viresque in natura regnantes, conversiones et perturbationes in natura factas, mala denique et incommoda, in universitatem generis humani inde exorta. Quod autem *physicum* hoc fabulae *genus* nuncupavimus, intelligimus sane, hoc offensione non carere: neque enim nos fugit, etiam illud fabulae genus, quod in explicando origine mundi sive naturae rerum versatur, ad physica pertinere: itaque hoc addamus, illo quidem genere universitatem rerum ab omni principio repeti, hoc et singulas res atque eventa in rerum universitate, quaeque post constitutam jam atque in ordinem adductam naturam facta sint, denique conditiones communes eius, quae extra est, naturae ex ratione na-

turae tractari. — Tribuimus fabulam universam in genera et partes. Sed non solum, quod supra dixi, primum illud genus reliquis omnibus tanquam fundamentum subjectum est, sed etiam caetera quae descripsi genera, sicut cogitatione quidem inter se differunt et disjuncta, re vera copulata sunt, ita apud Platonem horum generum nullum invenitur, quin id ex reliquis aliquid magis quidem minusve, at admixtum tamen et contextum habeat. Omnes vero apud Platonem fabulae in haec genera absumuntur. Quod quidem eo liquidius demonstrandum est, quo certius et melius, hisce explanatis, ad patefaciendam rationem et vim eius, quae in Symposio proposita est, fabulae parati erimus. — Ac Timaeus quidem, excepto quarto, reliqua tria omnia complectitur genera. Quae autem in Politico et in Critia profertur fabula, ex primo et quarto est genere. Fabula in Phaedro conflata est ex primo, secundo et tertio, ita ut in primo genere, cum quodam tertii capite conjuncto, fundamentum positum sit, cui secundi generis utraque pars superstructa est. Et ut, quod mox mihi demoustrandum erit, tanquam certum ponam, fabula de Amore in Convivio proposita, tota est primum ex primo genere, deinde ex parte secundi generis prima, e capite denique quodam quarti generis. Restant tres fabulae, quae sunt de inferis, in Phaedone, in libro de Rep. X, in Gorgia. Quae ut omnes natura sua ad alteram partem secundi generis referendae sunt, ita tamen prima quidem in Phaedone, quae de sedibus animarum judicatarum exponit, cum primo et quarto genere copulata est; secunda in libro de Rep. X, qua de animabus ipsis, quae judicatae sunt, docetur, et ipsa quarto generi subjecta est, sed ita, ut et primum genus et secundi prima pars ad eam pertineat; tertia denique in Gorgia fabula, quae de judicatione ipsa animarum explicat, admixtum primum genus tertiique non nisi semina quaedam in se habet.

Eorum quae hactenus disserui haec est summa: fabulae Platonis plane sunt δογματικαί: nulla quidem iis inest scientia, si scientiam intelligimus doctrinam in artis formulam redactam; nest autem scientia, si quidem scientia sola est rerum stabilium ac permanentium, et si solae ideae ac divina natura sunt aeternae. Jam omnia, quae apud Platonem ad artis formam ordinata videmus, conjunctae et rationis et mentis sunt foetus, quoniam

mens scientiae studio dedita principia, quae ideis continentur, investigat et e fontibus haurit, ratio autem quae hausta sunt ad artem redigit; quum autem mens in illo scientiae studio progressa ea eruit, quibus interpretandis et ad artem revocandis rationis vires non suppetunt, phantasia rationis vicaria exsistit, et fabula, mentis ac phantasiae foetus, necessario nascitur: ex quo sequitur, ut, quum fabula ipsam quidem scientiam non conficiat et absolvat, eius tamen sit medulla et altissima radix, cuius vis, nisi simul rationem habeas initiorum universae scientiae, quacum fabula connexa est, intelligi omnino non possit. Religiosae autem idcirco sunt fabulae, quoniam philosophus, dum sui ipsius divinaeque naturae contemplationi studet, mentem, non veritatis solum sed omnis etiam virtutis divinitatisque efficacissimum instrumentum, excolit et salvam exhibet. Quid autem est religio, si hoc non est, Deo studere similem fieri, quoad quidem fieri potest? Deo autem similis fieri quis potest, nisi qui mentem, quae sola nobis cum divina natura communis est, sapientiae et virtutis studio perfectam reddere studet? Jam quum scientiae et religionis studium, ea, quam significavimus, ratione conjunctum sit, fabulae autem tum demum, quum religionis studium summum consecutum est gradum, exsistere potuerint, sequitur, ut illae juncti in Platone cum religionis tum scientiae studii summus flos censendae sint.

Sequitur, ut quaeramus, an mysticae nuncupandae sint Platonis fabulae. Mihi quidem, ut, quod sentio, dicam, sic se res habere videtur: mysticae non sunt fabulae, si mysticum studium per se neque comparatione spectatum respicimus, contra utique sunt mysticae, si mystici studii non per se, sed comparatione spectati, non absoluti sed relati ratio habetur. Nam illud quidem mystici studii genus in scientiae studio sive in philosophia esse omnino nequit, quoniam, uti supra diximus, haec studia contraria sunt et inter se decertant ac digladiant. Ii enim, qui scientiae student, omnia mysteria aperire et illustrare conantur, contra, qui mystici sensus pleni sunt, philosophiam depellere student, summasque eius de rerum natura deque rebus divinis humanisque quaestiones, tanquam mysteria, quae nulla unquam humanae mentis acies dispicere possit, mordicus tenent et tuentur, nefarios esse in hac re scientiae conatus et studia claman-

tes ac fidei nescio cui inerti segnique res illas quasi proprias esse etiam atque etiam contendentes. Sed istos quidem, quoniam ab omni philosophia exclusi sunt, ab hoc sermone removeamus. Sed alia est inter ipsos philosophos istorum hominum natio, qui mystico studio fallaciter dediti esse recte insimulantur. Nam, dum philosophiae personam sustinere conantur, philosophiam adulterant, et quum revera nudi sint mystici, tamen sapientiae opinione ducti ita appellari fugiunt. Sunt autem isti fere ii, qui vel de industria cogitateque, quae docent, verbis flexiloquis et obscuris proferunt et hac re nescio quam de sua sapientia opinionem apud imperitos excitare student, vel complicatas rerum sublimium et divinarum notiones in eorum animis enatas pro doctrina habent, qua cum aliis communicanda munere quodam a deo assignato perfungi sibi videntur. Neutrius horum vitiorum Plato propter fictas ab eo fabulas insimulandus est. Neque enim, si qui, edocti, argumenta et sententias iis absconditas esse, non e trivio petitas, mysticas tamen esse fabulas clamabunt, hos audiendos putabimus; neque magis, si qui, moniti, ut doctrinam de altis, magnificis ac divinis rebus in fabulis involutam attendant, his omnibus non continuo perspectis, statim omnes fabulas somniantis Platonis portenta et figmenta a mente vacua esse contendent, ad eum id crimen pertinere censebimus. Nam, ut istas adversariorum confirmationes diluamus, illi quidem nesciunt, Platonem quasi necessitati parentem ad fabulas confugisse, neque eas de industria invenisse et excogitasse. Sint licet fabulae platonicae quasi mysteria quaedam; sed quid, si ipsis istis mysteriis mysteria enunciantur? Quid, si aliter ea enuntiari non potuerunt? Quid, si rerum obscuritas, non verborum facit, ut non intelligantur? Quod quidem cum ipsius Platonis luculentissimis testimoniis, tum nostra disputatione omni dubitatione exemtum puto: nisi forte nobis occurritur a quibusdam, Platonem illis Timaei, Phaedri, caeterorumque librorum locis, quibus, quam ob causam et quomodo fabulis utatur, rationem reddit, non veras sed speciosas fabularum causas indicasse: — sed videant illi quidem, ne ista vel suspicari, nedum horum suspicionem prodere ineptissimorum sit hominum et argutiis plenorum. Inveterata sane est et in plurimorum animo penitus insita opinio, omnes omnino fabulas consulto et cogi-

tato inventas esse; quam si forte evellere et exstirpare possim, mox elaborabo. Nunc alteri illarum dubitationum respondeamus, si modo responsione digna est illa accusatorum criminatio, quam qui Platoni afferre audent, certissima dant signa summae inscitiae platonicae philosophiae, junctae cum pari impudentia. Nam quo quisque magis universam Platonis philosophiam amplectitur, quo magis in omnium intimorum eius principiorum familiaritatem se insinuat, eo dubitat minus, in fabulis augustas, magnificas ac divinas sententias, tanquam mysteria, reconditas esse, eo magis illis mysteriis initiatur, inque Platonis fabulis alta, magnifica ac divina suspicere discit. Nam illi quidem, qui omnem sublimitatis sensum perdiderunt, omnibusque suis cogitationibus ad res viles humilesque abjectis inanes facti sunt coelestium mentemque in terram curvam gerunt: — isti igitur, in quibus omnis corrupta celsa indoles, qualis philosophiae imprimis platonicae dignitatem decet, quî omnino ad Platonem adspirare possunt? Itaque Platonomastiges illi, aut non perspecta cum universae Platonis philosophiae, tum eius fabularum vi ac ratione, eas somnia esse iactant, et hac re ex natione eorum se esse produnt, qui prius judicare consueverunt, quam quid rei sit sciant, aut ab aliis edocti, vel, si diis placet, sua acie perspicientes, quam praeclarae et illustres veritatis rerumque divinarum formae fabulis expressae sint, nihilo tamen minus somnia crepant; et tum si non inscitiae tantum et arrogantiae, sed etiam levitatis, impudentiae nota iis inuratur, aequo id animo patientur. Sed mittamus istos et orationem ad id propositum, a quo delapsa est, revocemus ac reflectamus. — Vidimus igitur, Platonem propter fabulas ab eo conditas neque in veri et germani, neque in fallacis studii mystici suspicionem vocari posse. « At obscurissimae tamen sunt pleraeque Platonis fabulae! » Quis negat? Sed ut nemo dubitat, quin philosophus, augustissimis scientiae initiatus mysteriis, ea enunciare, aperire et explicare, neque, dum obscuris et impeditis ea explicat verbis, simul celare et dissimulare debeat: ita in ambiguo illud est positum, quid sit obscurum et impeditum. Atqui haec non per se, sed comparatione constant, non sunt absoluta, sed relata, ita ut quod aliis, qui vixdum ad scientiam concipiendam imbuti sunt ac praeparati, obscurum impeditumque sit, idem aliis, qui men-

tis aciem ad magna perspicienda exacutam habent, perspicuum reperiatur et expeditum. Mentis autem aciem ut quisque Platonis studiosus in indagandis interioribus et reconditis scientiae eius initiis maxime exacuit, ita quisque maxime intelligit, quo in gradu collocatus ipse Plato fabulas condiderit, atque adeo omnia fabularum mysteria aperta videt. Sic igitur se res habet, ut in Platonis fabulis mysticus sensus non per se, sed comparatione constet, et ita quidem constet, ut si nobis mysticae videantur fabulae, causa non in Platone, sed in nobismet ipsis sit posita, a quibus illud judicium profectum est: quod ipsi scilicet Platonis magnificentia longe inferiores eique omnino impares sumus.

Restat, ut exponamus, quam diverso modo diversa ingenia diversoque praeparata modo, si ad fabulas legendas accedant, commoveantur: quod statim faciemus, si prius illud, quod supra promissum est, exsolverimus et inveteratam illam opinionem refutaverimus, quae fabulas non ab infantia naturae humanae profectas, sed bono et callido sapientium consilio effectas et inventas statuit: quae excursio nobis ad illam rem illustrandam tanquam ansam dabit. — Narrant igitur ii, qui in illa sunt sententia, hoc fere modo: fabulas proprium philosophorum inventum esse, ab omni antiquitate propagatum: etenim eos mortales, qui Prometheum sapientiae ignem e coelo in terram detulissent, ignis curam habentes, eius nonnisi semina et scintillas cum aliis communicasse, ita quidem, ut, quae superorum et coelestium meditatione invenissent, tanquam mysteria, oratione libera non enuntianda, fabulis, quasi speciosis et fallacibus dissimulationis integumentis, involverent et ita demum hominibus committerent: id enim hac re a philosophis consultum ac prospectum fuisse, ut ii, qui cum vulgo saperent, quaecunque autem a sua cognitione remota essent, omnia respuerent, si fabulam audirent vel legerent, captis et irretitis specie et splendore narratae rei sensibus, in externis, ad vulgarem popularemque captum accommodatis, acquiescerent, neque ultra quicquam requirerent, itaque verum neque cognoscerent, neque cognitum profanatum redderent vel calumniarentur: contra, ut ii, qui plus quam ceteri intelligerent et saperent, quorumque sensus intelligentiae obediret, ex iis, quae in promptu essent, signis de interioribus con-

jecturam facerent et per illa imaginum involucra et integumenta, plerumque illa, quamvis speciosa, tamen non satis per se probabilia, in fabulis speciem veritatis illis expressam perspicerent, et hoc modo tandem, quasi intimi facti, intimis suis cogitationibus, ex veritatis fonte haustis, perfruerentur: haud aliter ac homines saepe ad alienos mente tecti esse possunt et, dum vultu ac fronte mentiuntur, veritatem intus occultant, quum tamen necesse sit, familiarissimi omnia apertiora videant. In hisce igitur ut sint quaedam non absurde atque adeo vere et recte dicta, (quod post videbimus), illud tamen prorsus falsum est, quod omnes fabulas de industria inventas esse ponunt. Quod si enim Plato, hoc est, is philosophus, qui, si quis unquam alius, in investigatione veri nil nisi egregium, praeclarum et divinum sentire solitus est, quique eam ipsam ob causam maxime dubitare poterat, occulta apud homines expromere, divinaque sua inventa foras proferre, ne videlicet aperta simul ad eos permanarent homines, qui, omni veritatis et divinitatis sensu perdito, omnia non humilia et caduca calumnia, ut fit, frivola et illiberali vellicarent: quod si igitur ipse Plato, qui, si inventa sua a communi luce non secludere, neque invidere aliis, sed iis, qui veritatis avidi atque capaces essent, aperire volebat, ea in fabulis, tanquam in vagina, recondita in vulgus emittere, unusque omnium maxime fabula in eum, quem illi fingunt, inventa finem uti debebat, humana, ut ipse ait, natura coactus ad fabulam confugit, et ipsam veritatem quia puram et nudam exprimere non valebat, in veri similitudine fabulae acquievit; quanto, inquam, magis et certius de quibusvis aliis philosophis, qui ante Platonem fabulis usi sunt, hoc statuere possumus, eorum fabulas non voluntarie et de industria inventas, sed a necessitate expressas esse. Quod de antiquissimo quoque maxime valere puto: nimirum id, quod in singulis hominibus usu venit, ut, quo minus ab infantia remoti sint, eo magis ad sensus omnia referant, sensibusque et phantasia tanquam ratione ac mente utantur, quo autem magis ad confirmatam aetatem accedant, eo magis mens a sensibus renata corroboretur, ad se ipsam advocetur, et ad ea se erigat, quae omni sensu iisque quae in sensus cadunt superiora sunt; idem, inquam, cum in universis gentibus usu venit, tum in singulis, qui in iis exsistunt, philo-

sophis. Qui quo magis prima gentis aetate et quasi infantia floruerunt, tantum abest, ut, quae vera de divinis et humanis rebus excogitassent, fabula ad id ipsum callide excogitata et inventa condiderint et ita demum cum hominibus communicarint, ut ne id quidem probabile sit, eos necessitatem, qua ad cogitata eo modo exprimenda et illustranda adacti erant, sensisse aut acute perspexisse, quippe qui, toti in eorum, quae extra erant, contemplatione immersi, suas facultates nosse non possent. Quod quidem, acta demum et decursa gentium infanti aetate, magis magisque fieri potuit, quemadmodum Platonem, qui, vigens in ipso graecae eruditionis flore, ipse omnium sapientium flos fuit, apertis causis et rationibus illam fabulae naturam intellexisse et declarasse videmus. Quid vero? Utrum illos cascae vetustatis philosophos eodem, quo recentiores fabulam adhibuerunt, modo fabulam itidem tractasse, neque quicquam inter utrorumque fabulas interesse putabimus, an ex ea, quam aperuimus, ratione tempora ad hanc rem aliquid momenti habuisse dicemus? Interest vero: et tantum interest, quantum inter opus, cui ex ingenio nato nil ornamenti neque condimenti a studio aut artificio accessit, et inter illud opus, quod et ipsum ingenium et mens concepit et enixa est, sed quod artificiosa expolitum est ratione et cura. Jam, si quas illi, in quorum opinionibus refutandis nostra nunc versatur oratio, fingunt rationes, aliqua saltem ex parte verae ac probandae sunt, ita eorum ratio circumscribatur oportet, ut, quum fictitiam esse, quam illi inventarum fabularum causam dicunt, demonstratum sit, id, quod illi unicum propositum omnium fabularum comminiscuntur, non tam propositum esse, quam ex ipsa, quam declaravimus, fabulae natura consequi statuatur. Maxime enim verum et usu comprobatum est, diverso modo diversos homines de fabulis sentire, prout eorum sunt ingenia et prout a rei cognitione parati et instructi ad rem perlustrandam accedunt. Duo potissimum in hac re hominum genera discerni possunt. Quorum primum eorum est hominum, qui in fabulis nil vident nisi ineptam quandam rerum famam: recentiorum, velut Platonis fabulas admirantur illi quidem tanquam lusum ingenii, artem singulorum, si diis placet, suspiciunt, sed in his ipsis haerent. Sed hoc quidem genus antiquissimae potissimum patiuntur fabulae,

quae quo magis nihil non ad sensuum officia revocant et ipsae, historica indutae facie, non raro latent inter fabulas revera historicas, eo magis illorum opinioni favere videntur, quod quidem in recentioribus non item tam facile fit, quoniam, exuta pura illa et candida simplicitate et assumpta facie mirabili quadam, si non statim magnificum quid et divinum, at interius tamen et fronte simulata tectum non hebetato cuivis produnt. Sed omnino quod in artificiis, velut in simulacris arte perfectis, saepe usu venire videmus, idem fere in fabulis accidit. Nam quum artifex, exemplar sive ideam, intus mente a se conceptam et constitutam, intuens, ex ea formam aliquam et habitum capiat, quem operi suo imponat, cumque coloribus reddens, ita id quod destinabat efficiat; in iis, qui acutum et tritum pulcri verique indicium habent, quum artificium contuentur, ea ipsa contemplatione excitatur idea operis et exemplar, quod extra opus et ante opus exstat, quodque intuens artifex et imitatus, formas et faciem operis effecit et figuravit: excitata autem et spirante in eorum mentibus hac idea, et operis vim ac rationem intelligunt, et absolutionem eius aestimantes mira quadam perfunduntur et deliniuntur voluptate. Contra alii, qui iudicio et intellectu, vel omni omnino pulcri et venusti sensu destituti sunt, conspiciunt illi quidem objectam oculis speciem operis, sed ipsum opus mente non capiunt, hoc est, eius ideam non concipiunt. Hi sunt isti fere, qui, ut hoc utar, quum conspiciunt imaginem sanctae virginis a Raphaele Urbinate prolatam, nil vident nisi mulierculae cuiusdam caput, aut, sicubi depictam a Leonardo Vincio sacram coenam contuentur, convivas animadvertunt strenuo confabulantes, neque ultra quicquam magnopere intelligunt. Sed, ut ad fabulas redeamus, quoniam exposuimus, qua ratione ii se habeant, qui in fabulis eodem, quo isti in picturis, se gerunt modo, videamus, quae sit eorum ratio, quibus in fabulis iudicandis menteuti datum est. Ergo aliud exsistit genus, eorum dico, qui saltem didicerunt distinguere fabulas a fabulosis narrationibus i. e. fictas plane narrationes ab iis narrationibus, quae vera enunciant narratione ficta: itaque soli hi sunt, qui veritatem indagare possunt fabulis absconditam. Quo autem quisque ex hoc genere minus in communem fabularum familiaritatem se insinuare et ita demum singularum intimus fieri

studuit, id est, quo quisque minus elaboravit, ut communem fabularum causam, pertentata undique atque perspecta animi humani natura eiusque facultatibus patefactis, aperiret eiusque rationem sibi redderet, eademque illa causa quomodo diversis temporibus, locis, ingeniis diversam efficiat fabularum naturam, distingueret, fabulas denique ad genera et species revocaret, — quo igitur quisque minus id spectavit, ut horum omnium subtiliori instructus cognitione, eaque quasi gradibus quibusdam usus, ad singularum veritatem fabularum indagandam accederet; hoc magis a proposito aberrat, quantumvis ceteroquin ab ingenio et doctrina instructus sit. — Nos autem hunc locum de communi fabularum philosopharum causa earumque universa natura ipsi quidem integrum non tractavimus, sed, quum a Schellingio ea edocti essemus, quibus in hac re tanquam certis et confessis uti posse videremur, satis nos illud effecturos esse putavimus, ut quaestio nostra de fabula in Convivio proposita certis initiis et fundamentis niteretur, si fabularum apud Platonem causam et naturam, ductis ex ipsius Platonis fontibus argumentis, cum ex Platonis disciplina, tum ex humani animi natura explicare studeremus. Et in hac quidem re ea nos praestitisse arbitramur, quae, nisi omnia animum fallunt, omne desiderium firmamentorum quaestionis nostrae expleant. Sed relinquitur, ut praeceptum quoddam addamus, quod et ignoratum, si eo plane non utaris, et cognitum, si perverse eo utaris, verum te videre non sinit. Est autem haec observatio: omnis fabula proprie per se est accipienda; quod quidem de historica fabula sponte patet. Sed quum fabula philosopha nil aliud, quam sub specie fabulosae narrationis veritatem sensibus admoveat, nos in eiusmodi placito, pro fabulae natura, idem sentire debemus, quod in re, cuius veritatem historia firma. Quod profecto, nisi fabula per se proprie accipiatur, fieri non potest. Aliud autem est, fabulam proprie accipere, aliud proprie acceptam credere. Jam in fabula philosopha singulae quaedam inesse possunt conditiones, quibus veritas effingitur, quaeque non ad ipsam, quae effingenda est, veritatem, sed ad totam imaginem uberius exornandam, neque ad rem ipsam, sed ad eam explicandam et in animi conspectu ponendam pertinent: itaque, qui

in explicanda fabula non ea tantum ad veritatem sollerter revocare studuerit, quae ad verum perspicuum faciendum necessaria erant, aut quibus demtis res ipsa quae facta fingitur, id est, verum mutaretur, sed etiam ad illa a re ipsa aliena deflexerit, is quidvis potius quam veritatem in tenebras retrusam atque abditam nobis eruet. Possem, si hoc nunc agendum esset, ostendere, eos qui ad hunc usque diem fabulam de Amore in Convivio explicare conati sunt, ad unum omnes, quod propositum habuerunt, hanc potissimum ob causam non consecutos esse, quod aut fabularum apud philosophos, maxime vero apud Platonem, causam et naturam non perspectam stabuerint, aut nostram illam observationem neglexerint, aut, etiamsi hanc cognoverint, in natura fabularum platonicarum hospites fuerint, aut, hac etiam cognita, quod in hoc haeserint et impediti sint, ut aut nimium singula premerent, aut necessaria ad veritatem negligerent. Sed id nunc quidem singulis nominatis exsequi longum foret, neque parem operae fructum praeberet: vera autem, quae dixi, an sint necne, quisque statim intelliget, quem eorum vim ac rationem, quae a nobis disputata erunt de fabula in Convivio proposita, cum illorum inventis conferre non pigebit.

Sed nos nunc, profligata jam et ad exitum adducta ea quaestione, quae quasi gradus quidam est primarius ad illud, quo tota haec tendit oratio, ad reliquos accedamus gradus, qui superandi sunt, priusquam ad orationis propositum nos convertamus et ipsam de Amore fabulam tractemus, eaque quid philosophus docere conatus sit videamus. Nam haec fabula quum summa sit et caput eius de Amore orationis, qua Plato Socratem in Agathonis convivio Amorem laudantem facit, porro quum fabula, quippe neque in fine, neque in exordio orationis, sed non procul ab initio proposita, nisi ratio eorum habeatur, quae eam antecedunt, quaeque eam sequuntur, recte explicari et intelligi omnino nequeat, denique quum laudatio ex refutatis erroribus Agathonis atque adeo omnium, qui antea Amorem laudaverant, efflorescat; oportet, primum quidem ea exponamus, quibus Socratis oratio cum caeterorum conjuncta est orationibus, deinde eorum, quae cum fabula conjuncta sunt,

non nisi summam et capita, circumcisis iis, quae non omnino necessaria sunt, oratione percurramus, denique fabulam ipsam quam poterimus diligentissime transferamus, ita quidem, ut vim sententiarum, non litterarum sequamur.

PARS SECUNDA.

ENARRATIO EORUM, QUAE AD FABULAM COGNOSCENDAM ET RECTE AESTIMANDAM NECESSARIA SUNT.

I.

ENARRANTUR EA, QUAE CUM SOCRATIS IN CONVIVIO ORATIONE, CUIUS CAPUT EST IPSA DE AMORE FABULA, CONJUNCTA SUNT.

Agatho, juvenis lautus et splendidus nobilisque poeta tragicus, delata sibi in poetarum certamine a populo Atheniensi palma, quo huius victoriae suae festum celebraret, factis sacrificiis, magnificum et splendidum convivium paraverat, multosque amicos et familiares vocaverat. Adsunt invitati cum alii multi Athenienses, tum imprimis lauti et elegantes hi: Phaedrus, Pausanias, ambo viri imprimis *ἐρωτικοί*, Eryximachus, medicus, Aristophanes, poeta comicus, in his etiam Socrates. Peracta coena, ad potum se conferunt convivae. Convenit inter eos Pausaniae monitu, ut doctis potius sermonibus, quam vino peragatur convivium. Eryximachus proponit, de quo disputetur, et reliquis auctor exsistit, ut singuli deinceps oratione laudes Amoris celebrent: Amoris enim laudes a poetis non minus quam ab ora-

toribus neglectas iacere. Huius rei indignitatem saepe se conquerentem audiisse Phaedrum, eumque se probare. Itaque, quo et Phaedro gratum fiat et Amor ornetur, convivis auctorem se esse, ut Amorem laudent. Et quum Phaedrus huius sermonis auctor et praeses sit, primas dicendi partes ei suspiciendas esse. Hanc Socrates rationem et sibi ipsi, cuius omnis scientia amorum finibus contineatur, placere ait, neque se dubitare fatetur, quin etiam, Agatho Pausanias et Aristophanes, denique omnes, qui adsint, convivae secum Eryximachi sententiam comprobaturi sint: omnes enim ab Amore et Venere non abhorrere. Itaque primus de deo Amore dicit Phaedrus, secundus est Pausanias, tertius Eryximachus, quartus Aristophanes, quintus Agatho, sextus Socrates.

Antequam vero exponimus, quae, excepta Socratis oratione, reliquarum vis sit et ratio, quaque ex parte ab illis differat Socratis oratio videmus, et, enarrata ipsius Socratis oratione, quae a refutandis illorum opinionibus initium capit, ad ipsam fabulae explicationem pedem proferimus, age, Graecorum deum Amorem ex sua vi paullo accuratius consideremus; quod nisi prius fecerimus, nil videbimus in Socratis oratione.

Latissime in fabulis Graecorum patet et ad plurimas res ea pertinet ratio, qua coelestis augustaeque naturae iura rebus liberaliter assignabantur, cuius rei quum sexcenta sint exempla, ex iis, quorum plena et ditissima Graecorum mythologia, illustrissimum est exemplum ipse deus Amor. — Duplex autem est dei Amoris, quem Graecorum mythologia celebrat, vis ac natura: atque potestas quaedam, non una quidem eademque, sed similis tamen, inque rebus diversa plane natura praeditis eodem effectu conspicua, in divinam animata personam uno eodemque dei Amoris nomine et natura comprehensa est et declarata. Nam antiquissimi quidem graeci poetae philosophantes, veluti Hesiodus aliique, quos secuti sunt posterioris aetatis philosophi, qui carmina condiderunt, velut Parmenides, Empedocles, in divinam personam animarunt deique Amoris nomine ornaverunt eam naturae vim, cuius interventu et intercursu hic rerum complexus, quem mundum dicimus, rudis antea, iners, caliginosus et temere agitatus, illustratus, recreatus atque dispositus sit lucidusque et formosus evaserit: itaque, quae hi de Amore

praedicaverunt, omnia ad naturae illam vim pertinent. Sed alius exstitit deus Amor: is quem a recentioribus, ut videtur, poetis fictum et informatum, ut cum humana natura magis conjunctum et ad populi captum unice accommodatum, Graeci mirifice amplexabantur omnibusque laudibus celebrare solebant. Perspiciamus huius naturam, evolutam nudatamque illis poetarum integumentis; videbimus, eum nil aliud esse, nisi ipsorum indolem hominum et quidem in universum spectatam, quatenus insita invicta quaedam, ideoque pro divina habita vis omnes vel nolentes ad pulcritudinis cupiditatem trahit et ducit. Itaque omnia ea studia, quibus homines, pulcri studio sive amori dediti, ducuntur et trahuntur, omnesque eorum actiones et affectus non ab ipsis, sed a divina vi Amoris, Veneris sectatoris hominumque moderatoris et ducis, tanquam a causa repetebantur. Sicut autem universa illa ratio quam plurimarum rerum naturam et vim perpetuo in divinas personas animandi, posteriore praesertim aetate, qua ratio in dicendo omnia magis magisque ad subtilitatem cogitandi revocare conabatur, causa fuit, cur, quod mirum sane videatur, Graeci, quum de iis rebus dicebant, quibus divinae naturae jura assignata erant, ita loquerentur, ut, de divino quopiam numine disputantes, statim pro incredibili, qua pollebant, cogitandi celeritate ad rei, cui numen praesidere putabant, potestatem praecipites ferrentur; ita Amoris nomine uno eodemque temporis puncto et deum Amorem, qui amori praesidet, et amorem ipsum, i. e. naturalem et insitam hominis animo amandi cupiditatem, notabant, utraque notione arctissime conjuncta et quasi in unum confusa. Similis huius confusionis alia, sed gravior majorumque causa errorum inde exstitit, quod similis vis copulatrix pulcrique sectatrix ac procreatrix, tum in rerum natura, tum in pectoribus hominum vigens, a poetis, nomine humanae amandi cupiditatis in inanimam naturam translato, et utraque vi illa in divinam animata personam, uno dei Amoris nomine comprehensa est. Secuta enim est hanc nominum translationem et confusionem rerum confusio et conjunctio, ut, quae antiqui poetae physici suum in deum Amorem congesserant, ea a recentioribus ad suum item Amorem exornandum et illustrandum adhiberentur, qua ratione obscuritas et gravitas poetarum physicorum cum levitate et lusibus hilaris

poetarum, qui amatoriam poesin colebant, mira licentia maximoque cum veritatis detrimento contexi coepta est. Et quum, quae prisci poetae, penes quos omnis rerum divinarum humanarumque scientia erat, de diis deabusque cecinerant, cuncta ab inferioris aetatis hominibus religione sancirentur, nec non ea, quae alii de eodem, quo illi argumento cecinerant, rata haberentur et vera; confundendi ista ratio, cuius vetera sunt vestigia, propagata semper et auctoritatem nacta est summam. Haec igitur libertas quam opportunam hominibus subtiliter cogitando non assuefactis vagandi et errandi ansam dederit, omniumque ineptiarum et licentiae latebra fuerit, cum omnes de Amore in Convivio orationes, excepta Socratica, aperte doceant, tum idem luculentis arguit exemplis ea oratio, quam ab Agathone, poeta, habitam finxit Plato. Omnino quemadmodum universa illa ratione omnia minima maxima et in homine et in iis, quae extra sunt, ad divina transferendi, indolis et ingenii graeci vita et vigor continebatur, et quemadmodum haec graecae artis, elegantiae et gratiae mater quasi fuit, qua educati et nutriti poetae artificesque illam, quam omnes admiramur, immortalium operum copiam protulerunt, ita eadem haec ratio haud raro errorum non levium causa exstitit simplicemque veritatem ornavit illa quidem, sed tamen paullatim pigmentis et fuco obscuravit. Et quae hoc ex genere in poetis, qui huius rationis quasi liberam potestatem habebant, praeclara et splendida videri poterant, ea hominum vulgus non admirabatur solum ut pulcra, speciosa et venusta, sed jam pro veris habebat et a natura ipsa constitutis. Et quum omnes Graeci benigna ingenii vena valerent, et ob id ipsum, ut fit saepe, magis speciei quam veritati studerent; iidem si cuius rei veritatem nudatam et evolutam illis poetarum integumentis perspicere conabantur, fugiebat res ipsa praestrictam splendidis ac speciosis simulacris aciem mentis, ut nunquam ad veritatem penetrare valerent. Haec igitur ratio ut in plurimis rebus, licet a veritate aeque ac a philosophia remota, nil magnopere mali habuit, imo animos hominum, severitatem vitae mirifica suavitate temperans, sollicitudine et curis saluberrime laxavit, ita eadem in iis praesertim, quae ad ipsum hominem pertinent, non raro opiniones et errores procreavit maximos et gravissimos, quos philosophi ii quidem, qui huma-

nitatem incorruptam servare studebant, aequo animo ferre non poterant, quique ut refutarentur eorum maxime interesse debebat. Cuius rei exemplum luculentum praebet uberrimus opiniorum foetus, profusus ab ea Graecorum de deo Amore sententia, cuius rationem aperuimus. Quam enim homines, pro sua quisque indole, eorum rationem studiorum, ad quae homines stimulo humanitati insito incitari solent et quae amoris nomine nuncupabantur, maxime noverant, probabant et sequebantur, eam divina causa in hominibus effici et dirigi statuebant; et quas quisque virtutes et facta, sive recta, sive prava, in iis, qui ad illa studia incumbebant, observabat, horum auctorem deum faciebat Amorem; quod quam facile rudem plebeculam ad vitia et nequitias abjecerit, vel me tacente, quisque videt. Eadem vero ratio, ut Athenas respiciamus temporaque Socratis et Platonis videamus, quam opportunam hominibus, quamvis honestate et humanitate plenis, et, ut sophistarum imbutis doctrina, disserendi subtilitate assuefactis: quam opportunam igitur tamen vel hisce ratio illa fenestram ad omnis generis opiniones et errores minime sanos patefecerit, nil melius nos docet, quam Convivium a Platone in hunc maxime finem conscriptum, ut istam opinionum levitatem e civium eruditorum animis exstirparet et funditus tolleret. Nam si qui paullo sapientiores vulgares illas opiniones, suas factas, firmare iisque fidem conciliare studebant, tum, quod exspectandum erat, minime ad ipsam naturam humanam respiciebant, neque, perscrutatis undique intimis eius recessibus et latebris, inquirebant, quid in illis amoris studiis simplex, sincerum et verum universaque humani animi indole fundatum, quid rursus falsum perversisque vulgi opinionibus adulteratum et deflectens a finibus amandi esset, ut, quae incorrupta et ab omni contagione opinionum et vitiorum libera, decora, pulcra, denique vera invenissent, his divinitatem tribuerent, haec deo Amori accepta referrent sanctaque eius vi consecrarent: — haec igitur illi, ut homines a vera philosophiae ratione alieni, qui, ut omnibus temporibus, ita tunc quoque plerique erant, minime faciebant, sed, ut solent homines, qui sensum honesti et venusti habent illi quidem, sed ad veritatem, quam sola habet idea, non direxerunt, quicquid speciosi et splendidi in rebus ad amorem pertinentibus oblatum erat, id, capto judicio, amplexa-

bantur et tanquam divinum venerabantur; itaque vera si sentiebant, eorum rationes et causam aperire atque perspicere non valebant, fallacia autem et speciosa, quae a veris discernere non didicissent, confundebant cum veris, et, si quid auctoritatis opinionibus adjungere cupiebant, tum, coacti confugere ad incunabula graecae religionis, ex male intellectis priscis illis fabulis, in quibus poetae philosophantes sua de rerum natura placita condiderant, aut ex antiquorum philosophorum de eodem argumento decretis, aut denique ex rerum fama, quae sententiae suae auctoritatem conciliare videbantur, petebant cumque suarum opinionum levitate priscae sapientiae gravitatem haud raro ridicule contexebant et confundebant; atque sic et se ipsos et imperitos sententiis fallebant, pigmentis et fuco ornatis.

Haec, excepta Socratis oratione, reliquarum omnium ratio est orationum, quas Plato in Convivio apud Agathonem a convivis de Amoribus laudibus habitas finxit. Qui mihi quidem hoc libro id maxime spectasse inque eo elaborasse videtur, primum ut ostenderet, quam remotae a veritate essent opiniones de Amore vel apud elegantissimos et eruditissimos viros, quantumvis illi, e sophistarum scholis profecti, suas opiniones omnibus praestigiosis sophistarum artificiis ad veritatis speciem componerent et exornarent, tum ut Socratis ore emendaret illas opiniones et simul sua de Amore placita, ex ipsius veritatis fonte atque ex Socratis sermonibus hausta, in medium proferret, post Socratem ipsum Alcibiadis oratione vivum et spirans veri et perfecti amatoris exemplar in terris fuisse significaret.

Haec igitur docenda erant, primum ut pateret, omnes, excepto Socrate, in laudando Amore unam eandemque rationem sequi, sed universam hanc rationem in singulis pro cuiusque ingenio et studiis diversam gignere orationem, tum ut intelligeretur, singulas de Amoris laudibus orationes, quantum ipsi illi, qui eas haberent, omnes a vera philosophiae ratione alieni essent, tantum a Socratis oratione diversas esse (quo nunc demum patefacto, ipsam Socratis orationem, quae a refutanda illorum sententia initium capit, ratione supra exposita recitare possumus); post, ut perspiceretur, quo maiorem veritatem tota Socratis oratio sibi vindicet, eo digniorem esse fabulam in ea propositam, quae, quantum id quidem fieri possit, ad intelligentiam revoce-

tur et explicetur, denique, ut, quod non minimum est, ex iis, quae ad exponendam originem graecae opinionis de divina Amoris natura docuimus, ad ipsam de Amore fabulam explicandam subsidia quaedam peterentur.

Sequitur igitur, ut exponamus summam et capita eorum, quae Phaedrus, Pausanias, Eryximachus, Aristophanes, Agatho de Amore dicunt; minime autem id agemus, ut singulos errores significemus et refutemus: quod munus ut desiderat ingenium a dialecticis non parum instructum, ita a viris doctis non quidem absolutum et perfectum, sed bene tamen affectum, a nostro autem proposito plane alienum est.

Ergo Phaedrus primus Amoris virtutum praedicator exsistit. Hic statim in initio ad fabulas confugit, ut auctoribus Hesiodo, Parmenide, aliisque Amorem deorum antiquissimum esse ostendat; neque antiquissimum tantum, sed etiam summi boni et virtutis Amorem hominibus auctorem exsistere statuit, cuius divinam vim esse ad animos non virorum tantum, sed etiam mulierum ad fortitudinem virtutemque incitandos, multis ex veteri historia propositis probare conatur exemplis. — Secundus est Pausanias, qui Phaedri orationem rectissime labefactat et convellit; reprehendit enim eum, quod simpliciter et in universum laudaverit, quasi vero unus tantum sit Amor, quum, sicut duplex sit Venus, altera coelestis, vulgaris altera, ita natus ex Veneribus duplex item sit Amor, alter coelestis, alter vulgaris et petulans. Quorum hunc eos sequi dicit, qui corpora feminarum pariter ac puerorum ament, illum, qui solos animos et puerorum tantum suspiciant et ad virtutem excolant. Huiusmodi igitur amatoribus se tradere, minime turpe esse pueris, nec ipsa Atheniensium instituta (caetera enim minus prudenter excogitata esse) aliam vim habere, si modo recte ea interpreteris, quam ut cogant pueros, utro ex genere amatores sint, explorare solisque iis sui copiam facere, quorum opera virtutis compotes sint futuri. — Pausaniae proximus dicendi provinciam Eryximachus suscipit, qui, ut statim agnoscas medicum et physicum, recte quidem duo Amoris genera a Pausania facta esse dicit, sed duplicis Amoris imperio non animos tantum hominum subiectos esse, immo eius vim tam late patere, ut corpora et universam rerum naturam complectatur. Quod ita probare co-

natur, ut ostendat, id officium, cum finem cum aliarum artium tum praecipue medicinae esse, ut honesto Amori obsequantur, vulgarem impugnent eiusque vitia sanent. — Sequitur Aristophanes, qui, conquestus, homines Amoris tam salutaris dei vim et efficaciam omnino non sentire et agnoscere, et improbata illorum, qui ante eum dixerant, ratione, in alia omnia abit et Amorem eum docet esse deum, cuius ope homines in pristinam integritatem restituantur, restituti autem felicitate potiantur. Integritas autem illa qualis fuerit, quoque coacti damno eam amiserimus, mira et summo artificio comico composita de androgynis fabula narrat. — Aristophanem excipit Agatho, qui quum adhuc quisque in oratione eius, qui ante dixerat, aliquid desiderasset et reprehendisset, omnium omnino universam improbat rationem. Exordiens enim orationem suam Agatho: «Videntur mihi, inquit, omnes, qui ante me dixerunt, non tam ipsum deum Amorem laudasse, quam homines propter bona, quorum auctor ille iis exsistat, beatos praedicasse: qua autem ipse praeditus natura illa omnia largiatur, nemo exposuit. Omnis autem oratio, quisquis is est, cuius in laudibus celebrandis illa versatur, si ratione et via suscipiatur, ita instituenda est, primum ut constituas et definias, quis et qualis sit is, de quo disputetur, tum, ut qualia sint ea, quae efficiat, exponas. Hac igitur ratione Amor nobis laudandus erit, ut praedicemus, quali praeditus natura quanta afferat dona et munera.» — Sed huic quidem definitionis et postulationi et promissioni quomodo ipse Agatho satisfecerit priusquam videamus, paullulum ad illud animum advertamus, quod haec Agathonis animadversio earum orationum, quae adhuc ad Amoris laudes celebrandas in medium prolatae erant, rationem prorsus improbat, omnesque orationes eiusdem vitii coarguit. Omnis enim oratio, neque ea tantum, quae in laudando aut in consulendo, aut quae in ratiocinando versatur, sed omnis omnino oratio, quae via quadam et ratione habetur, a definitione proficisci debet, ut bene intelligatur, quae sit qualisque ea res, de qua agatur, quaecunque ea sit; sin minus, omnino necesse est dicentem prorsus aberrare. Hanc unicam veritatis viam esse, in Phaedro Plato docentem facit Socratem (v. p. 237. B. C.), eamque in Convivio Socratem mox laudantem et ingredientem videbimus. Hanc autem illi

omnes neglexerant, isque communis eorum error fuerat. Et quam in Phaedro Plato causam adesse docet, quae quominus illi legi pareamus prohibeat, nimirum quod plerique singularum rerum vim ac naturam ignorantes ipsi sibi lateant, eadem istis Amoris praeconibus erroris causa exstitit. Rursus quod iisdem illis accidere docet Plato, nimirum, ut, quum tanquam de certis et compertis loquentes in initio dicendi non constituerint rem, de qua dicturi essent, progressa autem oratione, quod exspectari poterat, neque sibi ipsis, neque cum aliis constent, idem, inquam, accidit omnibus, qui ante Agathonem verba fecerunt. Ipse autem Agatho quomodo datam fidem liberarit, mox Socratis docebimus verbis; id nunc monuisse sufficiet, satisfacere eum, speciem quidem et formam rei si videas, rem ipsam et veritatem si respicias, non item. — Informat igitur summa facultate poetica ipsius imaginem dei Amoris. Deorum enim, ait, beatissimus est, quippe pulcerrimus et optimus, pulcerrimus quidem est, quia omnium deorum natu est minimus: neque enim, ut Parmenides et Hesiodus cecinerunt, antiquissimus est deorum, sed juvenis est, mollis, lentus, tener, floridus, pravitatis deformitatisque inimicus: idem vero optimus est, quia omni virtute floret: ab omni namque injuria et laesione aversus est, omnibus cupiditatibus omnibusque libidinibus moderatur, omni fortior vi est et potentia: sapientissimus denique procreator et effector est, qui non solum poesin omniaque animantia producit, sed etiam ad omnes artes et disciplinas diis dux exstitit. Hinc etiam factum, ut, orto inter deos Amore, omnes et divinae res et humanae ordinem acceperint et ornatum. Qualis autem Amoris est natura, talem in operibus quoque et donis se probat hominibus. Omnium enim auctor est bonorum amicitiae, familiaritatis, mansuetudinis, benevolentiae, gratiae, desiderii, decoris, denique socius est, sospitator, gubernator. — Atque hac oratione ita exsultavit Agathonis juvenis ingenium, ut omnes convivae eadem mentis concitatione abrepti plauderent et uno ore clamarent, dignam eum et se ipso et deo habuisse orationem. Jam vices veniunt ad ipsum Socratem, cuius orationem referemus, ubi primum ea, ex quibus constat, in partes et quasi in membra, discerpserimus, quo facilius totius ratio orationis perspiciatur.

Duplex est Socratis oratio, cuius prima pars est exordium, quod suis ipse verbis exhibet; ea vero, quibus altera absolvitur pars, tanquam e Diotima magistra, sermone cum ea collato, audita, huius ex ore refert. Duae autem et ipsius exordii sunt partes: prima Socrates, conversus ad omnes, qui adhuc Amorem laudaverant, convivas, universam eorum rationem improbat, qui, contenti veri speciem adornasse, ipsam veritatem parum curassent; altera exordii pars in refutandis erroribus non omnium, sed Agathonis consumitur. Nimirum, excepto Agathone, reliqui omnes eo, quem Agatho coarguit, errore viam, qua ad veritatem pervenire poterant, sibi ipsi praeciderant; itaque solum hic, instituto cum eo sermone, Agathonem refellit, qui hanc ipsam, quae unice probanda erat, disputandi viam ingressus erat; et quum eorum, quae Agatho de Amore praedicaverat, haec fuisset summa, ut optimum eundemque pulcerrimum eum esse doceret; redarguens Agathonem Socrates neque pulcrum neque bonum Amorem esse docet, misso deinde Agathone, ea in medium affert, quae olim a Diotima edoctum se esse dicit, et ita quidem affert, ut ipsa verba eius sermonis referat, quo illa ipsum redarguerit, redargutum autem meliora edocuerit; quum antea eadem de Amore statuisset, quae ipse nunc statuentem dedocuerit Agathonem. Hisce autem interrupta Agathonis refutatio ita absolvitur, ut, quum Socrates eo illum adegisset, ut fateretur, Amorem neque bonum neque pulcrum esse, non jam Diotima doceat, turpem eum esse et malum, neque magis, ut, quum Socrates a Diotima coactus deum Amorem esse negasset, continuo mortalem illa eum esse concedat. Ex hac igitur ratione efflorescit ipse ille de Amore sermo, quem Socrates ex ore Diotimae profert, qui ex duabus item constat partibus, quarum prima ipsam naturam Amoris definit et constituit, primumque de genere eius, deinde de origine, tum de indole docet. Hi tres loci fabulose tractantur: quorum secundo maxime et tertio fabula illa continetur, cuius explicationem et enodationem suscepimus, magnum sane onus, verumtamen dignum, quo omnes contendamus ingenii doctrinaeque nostrae nervos, qui sentio equidem quam sint infirmi pro rei magnitudine. Illud igitur sermonis caput adstricte expressum recitabimus, contenti caeterorum non nisi summam, laxati necessitate singula accurate

persequendi, adumbrata interpretatione libere retulisse. Absolutis iis, quae Socratem, de ipsa Amoris natura a Diotima fabulis edoctum, recitantem inducit Plato, ad alteram partem orationis Socrates transit et ore Diotima docet, quantum utilitatis habeat Amor, quoque modo in variis amorum gradibus eius vis cernatur. — His ad faciliorem intelligentiam orationis praeparatis, totam jam orationem ea, quam nobis praescripsimus, ratione referamus, quo facto tandem aliquando in ipsum orationis nostrae propositum, fabulae explicationem, totos nos conferemus.

II.

ENARRATUR CUM IPSIUS SOCRATIS ORATIO, TUM FABULA DE AMORE.

Socrates, finita Agathonis oratione magnoque convivarum plausu et clamoribus probata, cunctas orationes, nec ex firmo ductas principio, neque ad certam rationem adstrictas, ad dialecticum acumen revocat solitaque dissimulatione ita orditur:

Ita fere, ait, obstupefactus sum et exhorrui in tam splendida tamque divina Agathonis magniloquentia, ut, si fieri potuisset, aufugissem, quod post eam nil dignum vestris auribus allaturum me sperarem. Et nunc demum video, quam stulte egerim, quum profiterer, me quoque inter vos, viri, laudes Amoris oratione celebraturum. Etenim etiam ex reliquorum orationibus intellexi, me totius rationis laudandi penitus esse ignarum. Hactenus enim in eo versatus sum errore, ut putarem, laudatorem vera tantum debere expromere, ex iisque pulcerrima seligere eleganterque pronuntiare: nunc vero cognovi, laudando omnem bene dicendi, veritatis nullam habendam esse rationem, ut in rem laudandam maxima quaeque et splendidissima congerere possis, nil tamen curans, vera sint, necne. Sed si me vultis meo more dicentem audire, dicam, ut potero. Hoc

vero a te, Phaedre, qui huius sermonis auctor es et praeses, peto, ut mihi Agathonem breviter quaedam interrogare liceat, quo, cum de principiis inter nos convenerit, totam inde disputationem ducam. Tuo quidem arbitratu, o Socrates, inquit Phaedrus. — Atqui, mi Agatho, cum bene dispertiisti orationem tuam bifariam, ut primum diceres, qualis sit ipse Amor, deinde qualia sint eius opera, tum eam verbis ac sententiis magnifice exornasti. Tu igitur etiam hoc mihi dicas, Agatho, sitne alicuius rei an nullius Amor; hoc autem volo: quarum rerum ex genere sit Amor, cum omnes res vel per se ipsae intelligantur, vel ad alias referantur, ut patrem v. c. dicimus esse filii vel filiae, et frater est ob hanc rem, quod fratrem habet vel sororem. Est vero Amor alicuius rei, o Socrates. Eam vero ob rem cupit, necne? Cupit. Quod autem cupimus, illudne habemus, an non habemus? Non habemus, ut videtur. Ita non videri tantum, sed esse necesse est: nam quod quis possidet, illud non cupit: et quotiescunque optare nos, quae habemus, dicimus, nil volumus aliud, quam, quae nunc habemus, etiam in posterum habere ac retinere nos cupere; verbi causa si quis sanitatem corporis possideat, ea quidem, ut in posterum fruatur, potest cupere, nunc in praesentia non cupit, sed, sive velit sive nolit, eam possidet: Amorem vero esse pulcritudinis tu ipse, Agatho, oratione tua dixisti. Et recte quidem, o Socrates; nam ita se res habet. Sed Amor cum cupiat pulcritudinem, necesse est, eam non habeat? Ita sit. Pulcrum vero an non idem bonum quoque est? Est ita. Caret igitur omni pulcro bonoque Amor? Non contra te possum disputare, Socrates, sed ita se res habeat, ut dicis. Immo vero contra veritatem non potes disputare, mi Agatho; nam contra Socratem quidem facile est. — Sed te jam dimittam et potius cum de Amore sermonem referam, quem olim audivi e Diotima, sapiente et divinationis perita muliere, quae me amandi artem edocuit: nam quum ego coram hac, ut tu, Agatho, Amorem praedicassem, deorumque maximum vocassem; eadem ratione, qua nunc ego te, illa me redarguit. Neque enim Amor, ajebat Diotima, pulcer est et bonus, neque etiam turpis et malus: sed ut inter scientiam et ignorantiam medium genus interjectum est, vera opinio, et ut inter sapientes et ignorantes medius est philosophus, ita Amor in medio quasi pulcritudinis

et deformitatis, bonitatis et mali collocatus est. Neque magnus deus est, quod tamen inter omnes fere convenit; etenim deorum est beatitudo, eaque posita est in possessione boni pulcrique; quae Amor, quoniam non habet, cupit. Neque tamen mortalis est Amor, sed, sicut in prioribus exemplis diximus, mediae naturae inter mortale et immortale. Hic ego: Quid igitur est, o Diotima? Tum illa: Magnus, o Socrates, Daemon: omnis enim daemonum natura media est inter divinum et mortale. Quaenam vero, inquam, illius vis, quodnam est munus? Id daemonum est munus, ut nuncient et perferant diis, quae apud homines fiunt, hominibus, quae a diis ad illos pertinent: hinc quidem preces et sacrificia, illinc monita sacrorumque remunerationes. In medio autem collocata utrarumque partium, daemonum natura efficit, ut, repleto hoc spatio, totum universum uno vinculo secum ipsum contineatur. Inde etiam omnis pendet divinatio atque religio sacerdotumque ars, et eorum, qui in sacrificiis, expiationibus et incantationibus versantur, et eorum, qui omni magorum disciplinae praestigiisque student. Divinitas enim cum hominibus non ipsa agit, nec, nisi intercedente daemonum ministerio, cum hominibus et vigilantibus et dormientibus commercium habet et colloquitur. Et quicunque harum rerum scientia floret, is vir est vere δαιμόνιος: qui autem in alia quadam re, vel in artibus vel in sordidis artificiis, quae manuum facultate efficiuntur; — in his igitur qui peritia valet, is mercenarius est. Omnino hi daemones multi et varii sunt; quorum unus est Amor. — Parentibus vero, inquam, quibusnam tandem natus est? Grandius id quidem, inquit, quam quod oratione explicari possit: conabor tamen tibi dicere.

Nam quum Venus nata esset, natalitia dabantur, quibus cum caeteri omnes intererant dii, tum Consae (*Μῆτις*, Consa) filius, Affluus (*Πόρος*). Postquam coenassent, aliquid stipis coactura, quippe quum dapes essent, accessit Inopia (*Πενία*) foresque obsidebat. Affluus autem plenus nectaris (vinum enim nondum erat) in Jovis hortum ingressus est et oppressus crapula obdormivit. Ibi tum Inopia, capto ob suam penuriam consilio excitandae sibi ex Affluo prolis, ad eum procumbit et sic conceptum enixa est Amorem. Itaque Veneris comes et sectator factus est Amor, quippe genitus illius natali: et quia ipse na-

tura pulcri amator exstitit, Venus autem pulcra est. Amor igitur, ut Afflui et Inopiae filius, hanc sortem nactus est: ante omnia quidem semper pauper est, et tantum abest, ut tener, mollis et pulcer sit (quemadmodum vulgus opinatur), ut durus sit, aridus, nudis pedibus, sine domo, semperque humilis, sine stragulis ad fores et in via sub divo cubans: denique matris naturam servat, semper cum inopia habitat. A patris autem indole habet, quod pulcris bonisque insidiatur, quod virilis est, audacis animi et contenti studii: vehemens venator et speculator, semper aliquid machinarum moliens, prudentiae cupidus, industrius, efficax, per omnem vitam philosophans: peritus incantator, fascinator et sophista: neque omnino immortalis natura eius, neque mortalis: sed tum quidem eodem die viget et vivit, quoties rerum affluentiam habet, tum emoritur: rursumque recreatus reviviscit ob patris naturam. Quod vero assecutus est, dilapsum semper defluit. Ac proinde neque mendicus unquam est Amor, neque dives. Quin etiam in medio sapientiae et ignorantiae collocatus est. Sic enim se res habet, ut nemo deus philosophetur, sive sapientiae studiosus sit. Habent namque eam dii. Neque vero, si quis alius sapiens est, philosophus est. Neque etiam ii, quorum alienus a discendo est animus, sapientes fieri cupiunt. Etenim propter id ipsum ignorantia malum est, quod, quum neque bonus et pulcer, neque sapiens sis, perfectus tamen tibi videaris. Minime igitur, qui nullius rei egenum se esse arbitratur, ea desiderat, quibus se indigere non opinatur. Itaque sequitur, ut, quoniam neque qui ignorantes, neque qui sapientes sunt, sapientiae sunt cupidi, ii soli philosophentur, qui inter utrosque medii interjecti sunt, e quorum ordine est Amor. Omnino sapientia rerum pulcerrima est. Amor autem pulcri studet. Necesse igitur est, Amorem philosophum esse; philosophus quoniam est, sequitur, eum inter sapientem et rudem medium esse. Etiam huius rei causa origo ei exstitit: patre enim natus est sapiente et omni consilio affluente, matre autem insipiente et inope.—Haec quidem, mi Socrates, daemonis indoles est. Quod autem ad eum adtinet, quem tu Amorem esse opinatus es, nil mirum tibi accidit, qui eum pulcerrimum esse putabas. Ea autem imbutus eras opinione (quod ex iis colligo, quae tu dixisti), ut talem esse existimares Amorem, quale id est, quod amatur,

non quale id, quod amat. Et haec videlicet tibi causa fuit, ut Amor omnium pulcerrimus tibi videretur. Etenim Amoris finis id est, quod revera et pulcrum et bonum et perfectum est ac beatitudinem habet; id autem, quod amat, alium habitum habet, talem, qualem ego informavi. Quam vero Amor hominibus utilitatem afferat, id deinceps te docere conabor. — Nam quum pulcrorum sit Amor, vel, si quaeris, quum is, qui pulcra amat, expetat, ut sibi propria sint, pulcra autem quum eadem sint ac bona, porro quum is, qui pulcra possidet, beatus jam factus sit, sequitur, ut omnis amoris finis et spes sint bona et beatitudo. Qui autem fit, ut, quum haec spes et hic amor beatitudine potiundi omnibus hominibus communis et innatus sit, minime tamen omnes homines amare dicamus? Loquendi nimirum consuetudo amoris nomen temere ab universo genere avellit et ad unam formam adstrinxit: id quod in aliis quoque rebus factum est; velut poesis cum proprie omne illud sit studium, quo aliquid procreatur et, ut exsistat, efficitur, adeo ut singulis artibus subjecta opificia ad poesin referenda sint, opifices autem poetae sive effectores sint, tamen poeseos nomen adhaesit parvae parti ei, quae in metris et in musica efficiendis versatur, et qui hanc poeseos partem excolunt, poetae appellantur. Haud aliter in universum quidem omnis bonorum et pulcritudinis cupiditas maximus et callidus amor est, quem cuique innatum videmus. Sed ii quidem, qui aliis multis modis ei dediti sunt, incumbentes aut ad rem pecuniariam aut ad palaestrae studium aut ad philosophiam: — hi igitur neque amare dicuntur, neque amatores appellantur; illi autem, qui uni cuidam amoris speciei student eamque sequuntur, universi generis appellationem peculiarem habent et amoris et amandi et amatorum. Porro homines neque simpliciter bonum amant, sed adesse sibi et proprium esse cupiunt; neque proprium tantum esse, sed semper proprium et conjunctum sibi esse cupiunt. — Jam quum amor in universum quidem ea sit cupiditas, qua unusquisque sibi bonum semper adesse cupit, quorumnam tandem studium et contentio, quanam ratione quaque actione bonum appetentium, amoris vi in angustius spatium redacta, amoris nomine continetur? Illud videlicet est studium pulcri in pulcro pariendi et procreandi, tam quod ad animum, tam quod ad corpus. Ea

nimirum est humana natura, ut omnes homines et corpore et animo concipiant, et, cum ad justam aetatem pervenerint, parere gestiant.— Et corpore quidem hoc efficitur viri mulierisque consuetudine: in quo profecto divina quaedam cernitur vis, et hoc est, quod mortali in animali est immortale. Ac propter hanc ipsam conjugii divinitatem fit, ut pulcra corpora in hac re consectemur, quae deformibus propiorem cum divina natura habent conjunctionem; etenim omne divinum abhorret a turpi, pulcro conveniens est et conjunctum. Pulcritudo igitur quasi quaedam obstetrix et conservatrix generationis. Neque tam pulcritudinis est amor, quam generationis et partus in pulcro, quia sempiternum quiddam est et immortale, ut in mortali re, generatio. Nam quum ea omnis amoris sit natura, ut bona sibi semper esse i. e. conjuncta immortalitati adesse cupiat, necesse est, eum immortalitatis cupiditatem esse et ob eam rem ipsam ad generationem tendere. Prolis autem procreatione omni mortali generi immortalitas conciliatur et perpetuitas; quae alia ratione effici nequit. Solis quippe rebus sempiternis semper esse iisdem datum est: quae vero mutationi sunt obnoxia, quum eadem semper esse non possint, in ipsis hisce vicissitudinibus perpetuitatem quandam habent. Quemadmodum enim unumquodque animal per totum vitae spatium vivere et idem esse dicitur, quum tamen in se ipso nunquam eadem complectatur, sed fluat et in assidua sit diminutione et adjectione, neque mane idem sit, quod pridie, neque in senectute idem, quod fuit in juventute; eodem modo omnes res, quae vicissitudine et successione conservantur, quamdiu generis eiusdem radicibus defixae sunt, individua licet alia aliis succedant, eaedem permanent et immortalitatis cuiusdam participes fiunt. Et quemadmodum homo, licet et corpore et animo totus alius sit factus, in senectute idem, qui fuerat in infantia, propterea dicitur, quod, decedentibus veteribus et corporis partibus et animi, similia nova substituuntur, ita universum mortale genus et ipsum immortale est, quoniam id, quod abit et veterascit, aliud quidpiam novum, quale ipsum fuit, in suum locum sufficit.— Idem vero immortalitatis parandae stimulus, qui quemque impellit, ut procreanda sobole, quantum fieri possit, suam naturam augeat et ultra huius vitae spatium proferat, ad gloriae studium homines incitat. Etenim quivis

homo, et quo major cuiusque et altior est animus, eo magis aeternitatis perpetuaeque famae studio ducitur, sive immortalitatis amore flagrat et ad hanc rem omnes opes suas omnesque cogitationes dirigit, omnes vitae curas, labores et pericula suscipit, quin ipsam mortem aequo appetit animo, dummodo sua virtus immortali posteritatis memoria consecretur. Quid enim Alcestin, mortem pro Admeto oppetentem, quid Achillem, Patrocli gratia morti se devoventem, quid denique Codrum, qui filiorum regnum servans interfectus est — hos omnes quid tandem cogitasse arbitramur? Iisdemne ut finibus nomen suum, quibus vita, terminaretur? Neque unquam quisquam sine magna spe immortalitatis se ad mortem obtulit, neque ipsi illi sine hac spe ad mortem properarunt. Sed qui corpore foecundi sunt, ad foeminas se applicant et cum iis consuescunt, ut, excitata sibi ex iis prole, immortalitatem memoriae et beatitudinem, quantum id quidem hac amandi ratione effici potest, adipiscantur. — Sed alius est et multo divinior praestantiorque animorum amor et conjunctio. Sunt enim, qui animo foecundi sunt et uberes, quorum foetus, ut animus corpori praestat, ita corporis seminibus et foetu efficacior est et praestantior, et qui ea, quae animi sunt, prudentiam et reliquas virtutes, procreant et pariunt, quarum poetae maxime genitores sunt et ii, qui in artibus inveniendi facultate pollent. Longe vero maxima et pulcerrima ea prudentiae pars est, quae versatur in ornanda gubernandaque re et publica et familiari justitiaque ac frugalitate continetur. Ii igitur, qui, divino semine oriundi, harum virtutum semina inde a juventute animo conceperunt, iisque foecundi sunt et uberes, quum ad constantem aetatem pervenerunt, et ipsi procreare et parere gestiunt, nec nisi pulcra corpora consectantur. Et si quem invenerunt, cuius ex ipso adspectu imago quaedam ingenitae virtutis et honestatis emicat, et cuius pulcro in corpore pulcrum quoque et bene a natura informatum habitare intellexerint animum, eum mirifice amplexantur et fovent, ei totos se aperiunt, in eius animum suavissime effusi, uberrima, quorum pectus affluens habent, profundunt omnis virtutis semina, eius animum ad omnia honesta et pulcra erudire et excolere student, eum hoc et praesentes et absentes, memoriam eius medullis infixam tenentes, foetum suum communiter nu-

triunt, alunt et educant. Itaque maioribus isti et firmioribus mutuae amicitiae et conjunctionis vinculis inter se conjunguntur, quam sunt vincula eius communionis, quam procreatio liberorum habet. Eorum enim liberorum, qui et pulcriores sunt et longius duraturi et vere immortales, animi nimirum liberorum inter illos communio exstitit. Hac via veteres illi, quos admiramur ac suspicimus, poetarum praeclari proceres, Homerus, Hesiodus, alii interitu se exemerunt: hac se supra caeteros mortales extulerunt, editisque immortalibus ingenii operibus memoriam suam consecrarunt: hac gradientes via Lycurgus, Solon aliique multi et in Graecia et apud barbaros virtute excellentes viri non modo inter aequales divina floruerunt gloria, sed, omni virtutis genere salutem spargentes et disseminantes, in omnem posteritatem divinum honorem ac decus immortale sibi pepererunt. Quae omnia corporis prole relicta nemo unquam assecutus est. — Et hac quidem amatoria arte tu quoque, o Socrates, initiari possis. Sed perquam difficile est ad perfectam illam et supremam amoris mysteriorum sanctitatem eniti, ad quam concipiendam illa ars imbuit ac praeparat; quamquam quibus gradibus eo perveniatur, tibi exponam. Quicunque igitur his cupit initiari mysteriis, a juventute quidem in corporum pulcritudine sentienda se exerceat, et primum quidem ad unum se adplicet corpus, in quo virtutem et bonorum sermonum fructum procreet. Mox uno gradu adscendat et hunc amorem non amplius ad unum quendam adstringat, sed progressus ad contemplandam, quae omnibus communis est, pulcritudinem, eum pulcris omnibus aeque tribuat. Deinde ad altiorem gradum ascendat et jam solam animi pulcritudinem consectetur, prae eaque corporis florem contemnat: itaque, si in quo virtutis indolem et paullo erectiorem cognoverit animum, quamvis corporis flore idem aliis cedat, nihilo tamen minus eum fovebit eiusque curam geret, cum ex se ipso iis sermonibus procreandis, qui juvenes ad virtutem erudiant, tum iisdem aliunde hauriendis; unde fit, ut pulcritudinem in studiis, legibus, institutis et moribus cognoscere velit, quo iis, quos amat, via ad sapientiam virtutemque aperiatur. Exinde tertium jam gradum conscendat et scientiarum ac philosophiae venustatem percipere discat, neque amplius singularium pulcritudinem rerum suspiciat, sed jamjam

accedens ad ipsum omnis pulcritudinis fontem, ad universalium rerum pulcritudinem convertatur et in huius contemplatione mentem defigat. Hic si se probe exercuerit et in sinu ac familiaritate omnium philosophiae copiarum multos magnificosque sermones animique sensus procreaverit, corroborata et aucta mente unam summam pulcritudinis scientiam intuebitur. Merces enim omnium, quos adhuc subierat, laborum, lux illi orietur pulcritudinis eius, quae semper est, quae neque fit, neque interit, neque crescit unquam, neque decrescit, quae non hac parte pulcra, illa turpis est, neque nunc pulcra, nunc non item, neque hic pulcra, illic turpis, ut, quod aliis pulcrum sit, aliis sit turpe, neque vero ipsam pulcritudinem sibi informabit tanquam aliquid, quod cum corpore conjunctum sit, aut tanquam pulcram orationem vel scientiam aliquam, neque denique ei apparebit in eo, a quo tota diversa est, veluti in animali, vel in terra, vel in coelo, vel in alia quapiam re; sed illam contuebitur pulcritudinem, quae ipsa per se, suapte et uniusmodi semper pulcra est; videbit caetera omnia pulcra, quatenus cum illa pulcritudine conjuncta sunt, ea ex parte pulcra esse, ita quidem, ut, dum caetera ista omnia pulcra oriuntur et intereunt, illud neque diminuatur, neque incrementum capiat, neque quidquam omnino patiatur. Hunc ad gradum qui in pulcritudinis studio, ad praescriptam rationem directo, evectus est, is fines amoris attigit et ipsis deliciis suis amoribusque potitur. In hoc vitae gradu quum collocatus est homo, vitalis demum, sicubi alibi, ei est vita. — Tu vero, mi Socrates, ait Diotima, si quando ipsam illam pulcritudinem conspicies, non auro comparanda tibi videbitur, non splendidae vesti, neque pulcris pueris ac juvenibus, qui, quum eos contueris, stupidum te nunc detinent et quibuscum, neglecto, si modo fieri id posset, cibo potioneque, perpetuo versari eorumque adspectu frui cupis. Quid tandem arbitramur, si cui contigerit, ipsam illam pulcritudinem contemplari, quasi ad lucem spectatam, puram, sinceram, neque contagione infectam humanorum colorum carniumque et aliarum multarum mortalium nugarum, sed ipsam divinam et simplicem pulcritudinem si videre cui contigerit? Num tandem mediocrem eius vitam hominis arbitraris, qui, ulteriora respiciens, illud, quod decet, contemplatur, et in hac re vitae suae tabernacula ponit? An non intelligis, eum, in

illo gradu collocatum, hoc solum modo, cernentem ea acie, qua conspici potest pulcritudo, editurum esse non imagines virtutis et adumbrata simulacra, sed veram virtutem, quippe qui non simulacro, sed ipsi cohaereat veritati, cuius anima amplexu veris impletur foecundaturque virtutibus? Eum vero, qui veram virtutem peperit et aluit, in divina gratia positum iri spes est, et, si cui alii id datum est mortali, ille certe immortalis evadet.

Haec igitur, Phaedre et vos caeteri, Diotima me docuit, quae et ipse ego credo, et caeteros, ut credant, adducere studeo: Amore efficaciorem humanitati adjutorem in hac possessione comparanda non facile cuiquam exsistere posse. Idcirco equidem ab omnibus hominibus Amorem colendum esse censeo, et ipse eum colo ac curo, caeterisque, ut id faciant, auctor sum, atque et nunc et semper, quantum possum, vim et virtutem Amoris laudibus orno. — Hanc, mi Phaedre, orationem, si placet, tanquam de Amoris laudibus habitam accipias, sin minus, quocunque tandem visum fuerit, nomine et modo eam appellabis.

PARS TERTIA.

IPSA FABULAE EXPLICATIO.

I.

DESCRIBUNTUR PERSONAE, QUAE PRAETER AMOREM IN SCENAM PRODUCUNTUR.

Ante omnia explorandum est, primum quid sibi velint ista divina numina, Jupiter, maritus, Consa, uxor, Affluus, Consae filius, et Venus, tum quae sit ista differentia naturae, quae inter deos illos et oppositam iis Inopiam apparet. Quoniam vero, cum illi omnes huic tanquam beata numina miserae oppositi sint, ex illis ab hac vel ipso nomine totus diversus est Affluus; etiam haec res quam vim habeat, aperiendum est.

Sed statim illud oportet teneas, nos in hac quaestione nil proficere posse, nisi ab oculorum consuetudine plane nos revocemus, et, missis istis personarum dissimulationibus, eam, quae variis deorum illorum nominibus expressa est, naturam ad unitatem quandam cogamus. Hanc nos, ut quae deinceps demonstranda erunt, h. l. tanquam certa ponamus, nomine *mundi intelligibilis* complectamur; diversam autem ab illa naturam, quae Inopiae nomine significatur, *materiae* naturam esse per-

suasum nobis sit. Sed hac de re post videbimus; nunc de illo, quod primum posuimus, explicandum est.

Mundus intelligibilis ipsa divinitate continetur, quae sapiens est, bona et pulcra, quod et in Phaedro (v. p. 246. D.) nos docet Plato et hac fabula significat nominibus Consae et Veneris. Etenim, ut primum de sapientia dicamus, conjuncta cum Jove Consa quid tandem aliud est, nisi quae in Philebo (v. p. 30. D.) cum Jovis natura copulata et conjuncta esse docetur *mens* et *sapientia* propter causae vim atque potestatem *regia,* universi gubernatrix et moderatrix? Neque in Philebo tantum hoc docuit Plato, sed tum aliis locis multis, tum vero etiam in Phaedro; quamquam illic quidem, ut hoc Symposii loco, fabulose idem significavit. Docet enim ibi, animum universum totum pervagari coelum universamque naturam inanimam curare: et in singulis animis mentem esse, quae gubernet et motus regat sursumque tendat ad locum supercoelestem, cuius naturam complecti non nisi mens possit. Ipsum vero universi animi motum et cursum, a Jove, summo Olympi rectore, (v. p. 246. E.) duci fingit, mundumque ab eo ornari et providentia gubernari. Hunc igitur et, qui eum proxime sequantur, deos daemonesque mente perfrui supercoelestium orarum contemplatione expleta et perfecta, caeteros autem animos, hos quidem magis, hos minus, beati illius spectaculi participes esse. Pauculis hisce e magnifica illa fabula delibatis, cuique satis probatum esse puto, hic nomine Consae, Jovis uxoris, declarari, quae illic Jovis solius nomine comprehenditur summa Dei mens, summa sapientia, mundi effectrix et gubernatrix. Porro videamus de Affluo et Venere, deque Inopia.

Divina mente sive mundo intelligibili cum omnes omnium rerum, quotquot sunt, ideae sive omnibus numeris absolutae perennesque formae contineantur, tum imprimis illic regnat boni et pulcri idea, quae maximum habet ambitum latissimeque patet, caeterasque omnes, inter quas praestantia et virtute sua eminet, continet et moderatur. Idcirco boni et pulcri natura prae caeteris ideis Afflui et Veneris nominibus expressa est. Quum vero boni idea maxime quasi perluceat ex iis, quibus mundus intelligibilis absolvitur, ideis; apparet, qua ratione Inopia sive materia, contraria omnibus ideis natura, quum reapse

omnibus ideis indigeat atque ea tantum ex parte, quatenus communione particeps fit idearum, omnino exsistat et ex sua inopia emergat et compareat, eadem in hac fabula a bono potissimum privata esse eiusque opem desiderare fingatur, quasi ab eo sustentetur et inopia sua et tenuitate levetur. Neque minus apparet, maxime hoc Afflui nomine virtutem et praestantiam mundi intelligibilis atque divinitatis declarari, et ita quidem, ut, qui potissimum ab ea diversa sit materiae natura, eluceat et appareat. Divinitas enim, solum ens, quatenus est ens, non continetur conditione et communione, siquidem ipsa se ipsa plena est seque ipsa contenta, aeterna, immobilis, immutabilis et eiusdem semper beatitatis radicibus defixa; neque vero ulla plane re indiget, neque quicquam omnino est, quod absolutam eius praestantiam juvare queat, sed e contrario ipsa indigentiam et inopiam eorum, quae diversa ab ea sunt, perpetuo auxilio quasi sublevat et implet; denique, quippe mensura ac terminus omnium, moderatur omnibus, ipsa vero a nulla re alia definitur, quum una sit et universa. Diversa autem a divinitate dicimus ipsam materiam omneque id, quod cum ea conjunctum est. Materia enim per se ab omni hac divinitatis virtute vacua est, ad eamque idem est, quod immoderatio ad mensuram, quod infinitum ad terminum, informe ad formatorem, egenum ad id quod sufficiens est; itaque nusquam omnino quiescit, omnia undique patitur, insatiabilis est, denique extrema inopia. Sed quoniam, ut vidimus, maxime bonitate indiget, idcirco ipsum malum materia est, si modo id, quod ad divinam naturam nil est, esse omnino dici potest. Nam si mali principium quoddam esset sive substantia, haberet utique malum suapte natura perfectionem quandam et formam, qua id esset, quod est. Jam si malum adfectio esset naturae consentanea et perfectio quaedam eius formae, qua contineretur; ipsum quoque bonum foret, nec jam malum diceretur. Omnis enim forma, perfectione suae naturae congrua praedita, bonum est aliquod, non malum. Bonum enim id est, quod cuiusque naturae convenit, et quo illa suam habet perfectionem. Malum autem adfectio contra naturam est eius, cui inest, cum eget eo, quod ipsius naturae convenit, ipsoque bono. Non est igitur principalis quaedam natura et substantia mali, cuiusmodi est boni: sed secundo quodam loco ex-

sistit illud praeter bonum, cuius est amissio et privatio.—Aptiorem, qua haec omnia doceret, imaginem inducta similitudine *Affluentiae* et *Inopiae* invenire Plato non poterat: communionem vero illam, sine qua nullam unquam formam teneret materia et omnino esse non posset, eo optime expressit, quod Inopiam divinae copiae et beatitatis cupidam eiusque participem finxit. Nam illum quidem complexum, qui Amori ortum dedisse fingitur, nunc mittamus. Est autem illius communionis boni haec fere ratio ac natura.

Origo et fons omnis bonitatis a divina mente repetendus est. Quod autem primum bonum est, id etiam esse simplicissimum oportet. Nam quidquid compositum est et multiplex, id, utcunque sit compositum, est uno posterius: et multitudo eaque, quae bona non sunt, bonum ipsis excellentius adpetunt, quodque non est principium, id omnino reapse a principio ortum est. Necesse vero est etiam, id, quod primum est et simplicissimum, vim quoque summam et universam habeat. Amplitudo autem illa et excellentia virium in eo posita est, ut, cum omnia producta sint ab illo, similia sui prius producat, quam dissimilia. In mundo igitur intelligibili ineffabile illud bonum et viget et ex omni aeternitate viguit: immutabilis illic et immobilis est boni natura, inque eadem semper beatitate collocata, non indiga boni, quoniam bonum illud ipsa per se est bonitas: ideoque aeternum et immortale est bonum. Et per coelum quidem coelestiaque corpora descendens adhuc integrum manet, purum putumque et nulla sui parte deterius. In iis autem, quae, inferiorem locum sortita et a divinitate aliena sunt, divinum bonum, absolutum quidem illud et omni ex parte perfectum, materiae vitio cerni non potest; est tamen aliqua coelestis illius boni umbra et imago, alibi expressior, alibi minus expressa: futurum enim alioqui esset, ut omnia vitio suo et labe permiscerentur ac corruerent. Atque ut quaeque res plura et certiora illius vestigia retinet, propiusque ab origine abest, ita est ea perfectior ,stabilior et immortalitati vicinior: ut pauciora retinet minusque certa, quoque longius ab origine abest, ita minus perfecta est minusque constans, pluribusque casibus atque interitui denique obnoxia. Sed quum illius quidem generis res in his terris inque hac turba posterioris generis rerum vix ac ne vix quidem com-

pareant, quumque res in sensus cadentes cum iisque conjunctae ad aeternam bonitatis formam expressae quidem sint, nec tamen propter naturae suae vel potius materiae mancam et imperfectam conditionem unquam illam assequantur, sed perpetuo ad illius virtutem et praestantiam quasi contendere ac pervenire studeant; hinc ergo patet, quantae sint angustiae huius naturae, quamque non vitalis omninoque fere nulla sit eius conditio et vita, cum divina si comparetur natura. Et haec quidem natura est mortalis nostrae sedis, in qua locum habet a bono aversio et malum, et in qua, tumultus ac perturbationis plena, naturae necessitati generandique legi omnia subdita, denique morti obnoxia sunt.

Hanc igitur doctrinam, quam Plato, cuius haec omnia ex fontibus libamus, haud uno loco illustravit, etiam hac fabula expressam esse, inde a nobis colligitur, quod Inopia tantum non mortalis fingitur in iis, quae de Amoris indole dicuntur; ac profecto Inopia apud deos mendicans idem sibi vult, ac quod edocemur illustri illo in Theaeteto loco, ubi Socrates cum Theodoro colloquens: «Fieri, inquit (v. p. 176. A.), omnino nequit, ut mala funditus exstirpentur, contrarium enim aliquid bono semper sit necesse est; malum tamen in divina natura locum habere minime putandum est; mortalem autem naturam et hanc nostram regionem necessario habitat et circumvagatur.» Quam vero ob causam materiae mala bonique per se expers est natura, eandem eadem ob causam deformis et pulcritudinis vacua est: quaque conditione materia, quum ipsa quidem nativi et domestici boni nil possideat, delati et peregrini particeps est, eadem pulcritudinem possidet. Sed hanc Platonis doctrinam, nostra fabula itidem significatam, uberius persequamur.

Omnia, quaecunque in his terris sunt, pulcra ad similitudinem excellentiorum sunt expressa, atque ex illis originem capiunt et vigorem vitamque trahunt; interest autem inter utramque naturam illud, quod altera quidem pura et incorrupta, altera turbulenta est et sordida: illic quidem actus perfectus est et minime impeditus: hic vero imperfectus et claudicans et difficilis, non ob agentis causam, sed ob materiae inopiam et impotentiam. Quemadmodum enim artifex in lapide facile sculpturus est, quascunque voluerit, formas, in pumice nequaquam,

aut saltem difficulter, non ob suam imperitiam aut inopiam, sed potius ob malum materiae habitum: sic ea quoque, quae in universo est, efficacia et actio ulteriora quidem propter naturam diviniorum laute et commode se habentem facile attingit: haec citeriora autem et inferiora ob multam differentiam et ob corporum caliginem et faecem difficilius et obscurius. Et quemadmodum radius solis in aethere quidem cernitur purissimus, in maris vero profundidate obscurus et evanescens: non quod ipse huiusmodi exsistit, sed quod sensus a continente impeditur; sic et desuper influens divinitatis vis non simili modo ubique agit, sed secundum cuiusque subjecti dignitatem et conditionem. Sicuti igitur corporum natura per se quidem pulcra videri possit, ad illam autem divinae pulcritudinis formam a philosopho comparata et examinata, nil nisi caecum erit simualcrum; ita materia, quum pulcri particeps videatur, eadem tamen revera deformis est.— Et hoc est illud, quod Plato Inopiam, id est materiam, non ipsam quidem turpem appellavit, sed, ubi orti ex confusa Inopiae et Afflui natura Amoris habitum depingit, a matre Amorem habere ait, quod sit non pulcer aut tener, sed horridus et sordidus. Quod autem in iis, quae de Amoris indole dicuntur, Inopiae natura ad sapientem et consilio abundantem naturam Afflui insipiens et egens ratione esse docetur: etiam hoc quam vim habeat, mox patebit.

Nimirum statuit in Phaedro Plato, a summa Jovis mente universum sive mundi animum regi eaque contineri; mundi vero animum ceteros universos animos continere docet, qui, quamvis genere iidem, et hac ex parte et ipsi mentis participes sint, nihilo tamen secius virtute deficiant. Docet item in Philebo Plato, sapientiam et mentem sine animo esse non posse (p. 30. D.), regiamque non mentem tantum, sed animum etiam regium Jovi inesse. Etenim, quo exsisteret mundus externus, et, qui mente divina continetur mundus internus, appareret, necesse erat, ut ait in Timaeo Plato, animum mundi e divina mente nasci, per quem ad mentem conversum ideisque repletum, ad naturam inanimam et ratione vacuam sive ad materiam pertineret divinae vis mentis, quae rerum formas complectitur et contemplatur; ita ut, quum universus animus ex divina mente pendeat, eamque dignitate proxime sequatur, illa per hunc agendo in omnem infinitatem

extendatur suamque naturam exhibeat et exprimat, omnesque, quotquot ipsa continentur, rerum formas. — Atque hic tandem apparet, nostra fabula eodem Afflui nomine naturam cum divini boni mundique, in quo illud maxime regnat, intelligibilis, tum vero etiam animi divini, illas divinitatis copias complexi, Platonem significasse.

Tractato loco de vi ac natura divinorum numinum, Jovis, Consae, Afflui, Veneris et diversae ab iis, imprimis vero ab Affluo, mortalis Inopiae, videamus de ista congressione Inopiae cum Affluo, deque natura orti ex iis daemonis Amoris.

Quid vero hoc simili exprimi putem, hac sententia, quam deinde singillatim illustrare et confirmare conabor, breviter et in universum hoc loco significandum puto. Concubitus Inopiae cum Affluo causa et origo est humanae naturae, quique, mixtus ex Affluo et Inopia, ortus est daemon Amor, ipsa est natura humani animi, qui, delibatus ex divina sive bona natura, commixtus est et impletus mortali materia sive deteriori natura; itaque, quia ita nascitur animus, ut, quamvis haerens et habitans in deteriori natura, aversus tamen ab ea, bonam naturam tanquam domesticam recuperare velit, amore ipso eius naturae continetur; quid, quod ipse animus est Amor? Itaque, quae de Amoris indole dicuntur tam late patent, quam ipsa humanitas, et tam diu valebunt veraque erunt, quamdiu ipsa humanitas vigebit, estque haec eorum vis ac ratio, non ut, quod aliquando factum est, neque ut, quod aliquando iterum fiet, sed ut, quod semper in humanitate est et fit, in conspectu paene animi nobis ponatur, quo animus clam abstrahatur a singulis ad universa, singulariaque et quae in casu sunt posita ut ex animo tollantur, denique ut universi animi humani formam et tanquam speciem videre nobis videamur. Quod autem statuo, iis, quae de daemone Amore dicuntur, ipsius animi humani originem naturamque declarari, multi, opinor, ubi hoc sic nude propositum audierint, sententiam meam haud leniter reprehendent; sed iidem, si nos porro audire velint, sentient profecto, nos a veritate minime aberrasse.

II.

EXPLICANTUR, QUAE DE CONGRESSIONE PENIAE ET PORI, DEQUE ORTU AMORIS FABULA NARRAT.

Vidimus supra, Graecorum deum Amorem nil aliud esse, nisi ipsorum indolem hominum, et quidem in universum spectatam, quatenus invicta quaedam, ideoque pro divina habita vis ei est insita, quae homines omnes vel nolentes ad pulcritudinis cupiditatem ducit et trahit. Hanc igitur de divinitate Amoris cumque ea conjunctam sententiam de divinitate pulcritudinis, quae in divinam Veneris personam a poetis animata erat, Plato, qui pulcre intellexisset, istis poetarum figmentis veritatis quaedam semina abscondita esse, tuitus et amplexatus est, eademque, callidissime commixta cum suis de amore et pulcritudine placitis, amplificata, altius lata et aucta, tanquam saluberrimo quodam remedio usus est aegrotae et insanae, quae apud cives suos, perversa sophistarum eruditione depravatos, obtinebat amandi rationis. Quod praecipue in eo libro fecit, qui Phaedri nomine inscribitur. Quo in libro, praesente Socrate, Phaedrus recitat amatorium quendam Lysiae sermonem, quo humilis, vitiosa et omnis honestatis decore spoliata orbataque amandi ratio oratione speciosa, fucata, neque a firmo ducta principio, neque ad certam adstricta rationem, commendatur et docetur. Cuius sermonis perversam pravamque rationem Socrates refutaturus, habere se Phaedro dicit, quod huic orationi opponi possit; urgente autem et hortante Phaedro, ut, quae habeat, expromat, Socrates, invitus quasi et obnubens prae pudore pallio caput, aliam affert orationem. Quem vero spectaverat Lysiae amorem, eundem quidem ipse quoque describit, vulgarem scilicet ac vilem abjectae plebis, sed insigni tamen veritate ac ratione. Et quod Lysiae sermoni propositum erat, ut ostenderet, quanta essent mala et incommoda, quae amor ei haberet, qui sui copiam amanti faceret, eoque probaret, satius esse, non amanti, quam amanti gratum se praebere, idem Socrates quoque probare co-

natur: non quo ipse eam amandi rationem, quam sermone exornat, probet, sed quod vitiosam disserendi rationem, qua Lysias suo in sermone usus, vitiosam illam amandi rationem exornarat, eodem argumento cum disserendi subtilitate tractando deridendam et explodendam peritis exponere vult. Phaedrus autem, ut agnoscas hominem delinitum sophistarum fucato dicendi genere et irretitum illiberalis amoris illecebris, qui antea Lysiae oratione exsultasset, nunc magis etiam Socratis sermonem omnibus laudibus ornat. Socrates contra vixdum sermonem suum finiit, quum se conscientia quadam examinari dicit, quasi sentiat, aliquid se hac oratione deliquisse in divinum numen. Interroganti Phaedro, quodnam tandem hoc peccatum sit, respondet (v. p. 242. D.): «Gravem, o Phaedre, gravem, inquam, sermonem et insanum et vero paene impium cum tu ipse attuleris, tum ut ipse ego in medium afferrem, auctor mihi fuisti. Quid enim? Amorem nonne filium Veneris et deum aliquem esse arbitraris?» Tum Phaedrus: «Ita quidem, inquit, ferunt sane esse.» Cui Socrates (v. p. 243. E.): «Mimine tamen id aut Lysiae sermo ait, aut ea oratio, quam, me invito et quasi incantato, per meum os ipse tu protulisti, Phaedre. Quod si vero est, et est certe, deus vel numen quoddam Amor, malum profecto Amor esse non potest.» Vitiosam tamen naturam Amori se tribuisse et sic impie se dixisse, Socrates fatetur: itaque expiatione opus sibi esse: quumque iis, qui in commemorandis rebus ad fabulas pertinentibus aliquid secus dixerint, antiquitus usitata sit expiatio, se quoque, priusquam propter Amoris vituperationem puniatur, Stesichori exemplo, palinodia Amori repensa, peccatum sanaturum et compensaturum esse lepidissime dicit. Quomodo igitur munus celebrandarum dei Amoris laudum Socrates exsolvit, deoque Amori suas laudes conservat atque celbrat? Nimirum ita, non ut eius nescio quam divinam formam et personam depingat, sed, ut doceat, in animis humanis insitam vim amoris esse, a divina profectam origine; vel, si quaeris, ipso humano animo divinum amorem contineri docet, quippe qui olim quidem totus cum divina natura cognatus fuerit et in eadem ac illa beatitate viguerit, familiariterque cum ideis, inter quas pulcritudinis idea eluceat, versatus sit, earumque intuitu, omnium rerum cognitione floruerit, nunc autem, delapsus et

detrusus in corporis habitaculum, pristinae integritatis desiderio teneatur et ad pristiunm habitum redire, deliciisque suis et amoribus, quantum id quidem in terris fieri possit, potiri cupiat.*) Quo autem magis homo, philosophiae edoctus studio, quod veram pulcritudinem contempletur et amplexetur, mentis stimulo in pulcritudinis amore incitari se et regi passus sit, et, refrenato irrationalis impetu partis, divinum et honestum excoluerit amorem, eo maiora ipsi et diviniora beneficia deum Amorem habere docet: potiri enim eum post mortem veris suis amoribus, et restitutum in pristinam beatitatem summo bono perfrui; quo autem maius irrationali parti obsequium hominis sit, eo minorem dei Amoris benevolentiam eundem in se experiri, eo miseriorem animi eius conditionem fieri, eo magis eum detrudi et demergi in malam et divinae contrariam naturam. Quid igitur ea verba, quae de deo Amore, Veneris filio, tanquam persona quadam divina et initio palinodiae (v. p. 242. D.), et in fine eius dicuntur, ubi Socrates (v. p. 257. A.) delicti veniam ab Amoris numine petit, et, ne amandi artem, quam se docuerit, indignans superiorem illam, quo Amorem vituperarit sermonem, infringat, etiam atque etiam orat: — quid ergo haec omnia aliud sunt, quam illustre exemplum lepidissimae illius eiusdemque gravissimae in Socrate εἰρωνείας? Cuius vis qualis quidem ea a Platone ostenditur, tantum abest, ut perspecta sit et patefacta omnibus, ut paucissimis datum sit, veram Socratis sententiam, evolutam integumentis dissimulationis socraticae, nudatamque ubique perspicere.

Sed quid tandem haec omnia ad nostrum propositum, ut ostendamus, eum, quem Plato in Convivio informat et depingit, daemonem Amorem universi animi humani, a divinitate orti, indolem declarare et naturam? Scilicet eodem callido artificio, quo Plato in Phaedro naturalem et insitam in animis humanis amoris vim, a causa vere divina pendentem, dei Amoris nomine complexus est, et, quae illa vis in homine efficit, omnia deo Amori adtribuit, eodem, inquam, artificio, quamvis di-

*) Hanc *dei Amoris* vim ac naturam in Phaedro quidem Platonem docuisse, cum ipsa nos res doceat, tum ipse Plato media in Palinodia (v. p. 252. B.) declarat. —

versa ratione, et amplificata, quod post magis intelligetur, tota quaestione, additisque et remotis multis, daemonis Amoris naturam in Convivio depinxit vimque et laudes celebravit, ita tamen, ut in Phaedro quidem non caecutienti cuivis ipse significaret, quam significationem sub dei Amoris appellatione subjectam vellet, in Convivio autem veram doctrinam dissimulationis involucris et quasi velis adeo tegeret, ut per ea divitias et ornamenta divinae veritatis perspicere iisque perfrui difficillimum sit et paucis adhuc datum.

Quemadmodum autem Plato in Phaedro vulgarem illam et a priscis ductam temporibus graecae religionis opinionem de deo Amore, dea Venere nato, specie quidem amplexatus, re vera ita ea est usus, ut, religiosa eius auctoritate contexta cum suorum placitorum gravitate et sublimitate, corruptos prava eruditione cives, qui ad honestatem et veram pulcritudinem in amando obduruerant, et, solida humanitate omni exuta ad frivolas et humiles nugas vitiaque se abjecerant, deterreret ab ista insania et coerceret, sanctumque divinarum rerum desiderium iis incuteret; ita in Convivio opinionem de daemone Amore, quae et ipsa e graecae religionis doctrina deprompta est, amplexari a multis maximi momenti causis, quae post magis intelligentur, coactus est, sed idem tamen hoc spectavit, ut, sacrificulorum de daemonum natura et officiis doctrina a superstitionis sordibus purgata, eandem cum sapientibus suis et vere divinis de eodem argumento placitis, quatenus id quidem cum sua doctrina de daemone Amore conjunctum esset, callidissime contexeret, et sic in superstitiosis animis aequalium, eorum quidem, qui ceteroquin non ineruditi essent, quicquid latius serpere et silvescere quasi videretur, id resecaret et castigaret, eosque ad puriorem sapientiam magis magisque concipiendam imbueret et praepararet.*) — Et cum omnes fere Platonis fabulae

*) Hac quoque in re eius vis rationis optime cernitur, quam, ubi de causa et natura fabularum apud Platonem docuimus, hoc simili a pictura petito illustrare conati sumus (v. p. 30.): „Non raro quidem admistas et contextas conspicio deorum formas, quae non ab artificis ipsius ingenio excogitatae et fictae, sed aliunde assumptae sunt. Sed ita eas ab artifice adhibitas video, ut, quae ab aliis de-

saluberrimam istiusmodi accommodationem tanquam adventicium quoddam emolumentum habeant, tum praecipue eius, quam aperuimus, rationis efficacia ac salubritas in iis cernitur, quae in nostra de daemone Amore fabula docentur de daemonum natura, conditione, officiis, deque eorum cultu, quo contineri dicuntur divinatio atque religio, sacerdotumque ars et eorum, qui in sacrificiis, expiationibus et incantationibus versentur, et eorum, qui omni magorum disciplinae praestigiisque studeant. Quae omnia tantum abest, ut recentiores Platonicos recte fecisse comprobent, qui huius scilicet loci auctoritate potissimum freti, falsas illas de daemonibus opiniones erroresque inde turbulentos et superstitiones paene aniles excitaverunt, aut ut illorum sententiam confirment, qui mystico sensu et superstitione rudis plebeculae Platonis animum captum fuisse dictitant, ut, inspectanti quidem attentis oculis, in plena solis luce prodant, Platonem sordidis istis velis quasi et involucris mirificas obtendisse et sapientissimi cuiusque ingenio dignissimas rerum divinarum ac veritatis imagines. Quod autem quae Plato prudenter molitus erat ad delendam e Graecorum religione et animis inveteratam quandam superstitionem, ea recentiores Platonici, obscuratis errore et ignorantia mentibus, putide ita interpretati sunt, quasi suis opinionibus faverent: huius rei non Plato, sed ipsa ista illorum temeritas causa fuit. Quippe: amat enim profanum et ineruditum vulgus splendidissimae cuiusque veritatis nitorem, praestricta adspectu mente, obfuscare et sublimia detrahere in pulverem. *) — Sed quod in

---

terioris ingenii pictoribus inventae et prolatae exstabant, nescio quomodo ratione privatae, eaedem, alia supposita ratione et ad artificis consilium prudenter et callide accommodatae, apte nunc videantur esse collocatae, et, sociatae cum aliis, ab ipsius mente pictoris profectis, partes suas non inepte agant."

*) Hoc argumentum optimè illustravit Eberhardus in eo libro, quo conjecturas suas de originibus disciplinae magicae prodidit. Cuius ex disputatione haec delibemus, quae ad nos maxime pertinent (Neue vermischte Schriften von Eberhard. Halle. 1788. 8. p. 306): „Es ist eine der schönsten Freiheiten der geistreichen und erhabenen Ironie, womit er (Plato) den Sokrates handeln lässt — die frei-

fabulis ex ipsius mente Platonis profectis curandum esse supra docuimus, ut non minima quaevis diligentia dura, molesta et putida excutias, nec nisi universalia et summam eorum, quae dicuntur, spectes, idem nunc nobis in eorum interpretatione tenendum est, quae Plato, delibata ex fabulosa et superstitiosa graecae religionis disciplina et cum suis de divina Amoris natura fabulosis placitis commixta, de δαιμονίῳ natura magni daemonis Amoris docet.

Quod autem supra diximus, quo artificio in Phaedro divinitus insitam in animis humanis vim Plato dei Amoris nomine complexus sit, deoque Amori adtribuerit, quae illa vis in homine efficiat, eodem illum artificio, quamvis diversa ratione, et amplificata tota illa de Amore quaestione, additisque multis et remotis, daemonis naturam in Convivio depinxisse vimque et laudes celebrasse; qualis sit ista differentia doctrinae in Phae-

---

lich dem stumpfen und umnebelten Blicke eines düstern Schwärmers nicht sichtbar ist — dass er sich in allen Aberglauben seiner Zeit zu schicken scheint, dass er selbst die Sprache dieses verächtlichen Aberglaubens redet, aber so, dass er ihr den edelsten, weisesten Sinn unterlegt." Et quum ostendisset, id Platonem omnibus opibus, variisque rationibus efficere studuisse, ut civium suorum superstitionem maxime in rebus ad magicam disciplinam pertinentibus tolleret aut certe emendaret, idque nonnullis locis probasset, respiciens locum de daemonibus in nostra fabula, ita loqui pergit eaque, quae de Amore, tanquam daemone, dicuntur, sic interpretatur (v. p. 307. 8. l. l.)· „Der Geist eines Plato ist in der Veredlung der geringsten Dinge unerschöpflich. Er wendet den Aberglauben noch von einer andern Seite. Die Zauberkraft der Beschwörungen und gottesdienstlichen Gebräuche liegt in der Liebe des moralischen Schönen. Dieser Eros ist das Band, das die Menschen mit den Göttern verbindet. Durch sie beantworten die Götter die Fragen der Menschen über das, was sie thun sollen, durch sie werden die Menschen zu dem Umgange mit den Göttern geschickt: sie ist die wahrsagende Gottheit, sie verrichtet alle Wunder des Wohlthuns unter den Menschen." Praeclare et acutissime haec inventa sunt, et ab eo quidem, qui hanc de daemone Amore fabulam non de industria dataque opera tractasse, neque id hac animadversione spectasse videtur, ut vim et naturam eius rationis, qua, quae de daemonum Amore dicta sunt, ad Amoris naturam accommodantur, patefaceret nobis et aperiret; id quod nostrum est munus.

dro et in Convivio, planum fiet profligata explicatione et interpretatione eorum, quae in fabula de Amoris ortu, indole et genere dicuntur. — Et quoniam in iis, quae adhuc disputavimus, comparatam in Phaedro et in Convivio fabulam alteram alteri lucem affundere vidimus, hac universa comparandi ratione porro utemur in explicandis rebus iis, quae Plato nostra sententia fabulosa ista narratione de Amoris procreatione exprimere conatus est.

Docet in Timaeo Plato, ubi de animi per mundum diffusi fabrica loquitur, eius naturam individuam eandemque dividuam esse. Animus enim cum mundi tum singulorum hominum modo divisionis reperietur expers, si divinae naturae simplicitas cogitetur, modo capax, cum ille per mundi, hic per hominis membra diffusus cogitatione informatur. Et quemadmodum divinus animus, quum ipse quidem sit unus, tamen, quatenus singulos animos tanquam particulas complectitur, multiplex est et dividuus, ita, quum mentis divinae una sit natura, tamen ipsa quoque, quatenus universus animus, ut pote mente prognatus, cum mente confusus et cognatus est, singulae autem universi animi partes mentis participes sunt, dividua reperitur. Et prima quidem summaque animi natura, sicut unum aliquod genus formas singulas, multas inter se discrepantes naturas continet et quasi comprehendit, partim quidem praestantiores, partim vero deteriores, et partim magis intelligentia vigentes, partim minus. Jam vero animus, intuens in mentis formas et species, in iisque defixus, affluentibus sapientiae copiis fruitur, respiciens autem ad se ipsum, servat se ipsum, at vero ad id, quod inferius est et corporatum et inanimum, exornat illud et guberuat et regit. Itaque fieri nequit, ut in mundo intelligibili omnia conquiescant, quippe cum aliud deinceps aliudque effici possit. Animus igitur cum ad sapientiae et intelligentiae cupiditatem trahitur et ducitur, suaeque haerens origini, ex idearum intuitu beata omnium rerum cognitione viget, vi sua et efficacia materiae, quae et ordine et fortuna inferior est, inopiam et miserias levat eidemque liberaliter quasi suppeditat de suorum bonorum copiis: et quamdiu quidem una cum intemerato animo in mundo intelligibili vigent et vivunt animi, servant naturalem integritatem vitaeque beatitatem, purique sunt et puti. Quum vero eo deflec-

tuntur, ut pars quaedam suique juris fiant, tunc se ad propria revocant. Quando igitur id diutius animus agit, fugiens totum et deflectens ab eo, inde discrepantia quadam jamjam sejungitur, neque ulterius altissimis mentis radicibus quasi defixus in consortio sapientiae et idearum permanet, sed factus jam pars quaedam solus relinquitur et veluti destitutus pristinam vim amittit negotiisque distrahitur. Etenim dum, segregatus a toto et uni cuidam emancipatus, omne reliquum fugit profectus conversusque ad unum illud a toto relictum, a toto degenerat et proprium quiddam distractus curat. Capessans autem animus externa et obliviscens jamjam suam naturam eaque, quae in ulterioribus habentur, bona et pulcra, ad ea, quae infra sunt, inclinat et a superiore divinitatis loco remóvetur: quod quo magis facit, eo magis quasi inebriatur, suique non compos et immemor trepidat: eo magis ei comes ebrietatis veternosa oblivio clam obrepit, usque demum, arcto oblivionis somnio plane oppressus et gravatus, hauritur a terrestri et mortali natura, cuius contraria divinitati est natura; denique delibata jam animi universi pars factus, in solidum et materiae implicitum corpus demergitur et insinuatur.

Hic Inopiae cum ebrio Affluo concubitus, haec conditio et lex est, qua animus tum singulorum hominum, tum universi humani generis nascitur: quumque daemonis Amoris natura et indoles eadem sit ac universi animi humani, eius quidem, quae in universum describitur et depingitur, Amoris indolis, particeps est universus animus, singula autem lineamenta, quibus Amoris imago absolvitur et quasi facies quaedam eius in animi conspectu paene ponitur, singulas quibus animus humanus continetur vires et facultates effingunt, quae denique discrepantes Amori tribuuntur facultates, diversum effectum diversamque actionem animi humani, pro diverso hominum habitu et studio, referunt et reddunt.

Cum omnis igitur animus mundi semper in sublimi et in mundo intelligibili versetur, tum nostri quoque olim quidem, in aeterno bono et pulcro veritateque defixi, nihil unquam habuere mali: sed quoniam nobis aliquando defuerunt voluntas et vires ad beatam illam vitam amplectendam et ad augustissima illa sanctaque et sincera spectacula intuenda, propterea

nostra natura tulit, ut ad inferiora inclinaremus; atque haec ipsa animo exstitit causa cuiuscunque vitii, descensus voluntarius in hunc mortalem locum. Quumque animus integrae et perfectae naturae virtutes haud servarit, non tamen ideo ad deterioris et imperfectae imbecillitatem et inopiam prorsus delapsus est eiusque vitio repletus, remanentibus aliquibus vestigiis et reliquiis pristinae integritatis et virtutis. Sed est omnino animus humanus in medio collocatus eorum animorum, qui semper in sublimi manentes cum ob naturae excellentiam, tum vel maxime propter mentis communionem perpetuo expleta sapientia fruuntur, eorumque, qui semper humi haerent et materiae inopia oppressi sunt ob brutae animae cum corpore cognationem; atque sic ille vitale quoddam vinculum est superiorum et inferiorum, ita quidem, ut pro liberae voluntatis habitu nunc his nunc illis similis fieri, sive vel descendere vel ascendere possit. — Duplex ergo et gemina est humana natura: mixta mortalitate atque immortalitate, malo turpique atque bono cognatoque cum bono pulcro, sapientia denique et insipientia: omnis enim animus humanus, utpote particula animi universi sive imago divinae naturae, mentis est particeps, neque mentis et rationis expers in homine quidquam est, nisi eae vires, quibus excitatis, animus, quum sua adfectione et habitu descenderet ad mortalem huncce locum, et cum mortali corpore conjungendus unumque animal mortale cum eo confecturus esset, ad irrationalem descivit naturam; spectant autem illae vires partim quidem ad cognitionem, ut sensus et phantasia, partim ad adpetitionem, ut iracundia et cupiditas, per quas mortale animal et curam haberet suae naturae congruentem, et nutriretur, cresceret atque propagaretur. Ea igitur animi pars, in qua vires istae vigent et vivunt, plane in corpore subsedit in eiusque flumen immersa, mortali impleta et infecta est natura. Quae autem naturae humanae vis quasi animus quidam ipsius animi, sive purissima eius pars est, ea emersa est et quasi foras eminet, caeterisque omnibus veluti in profundum demersis, suspensa et erecta manet; haec pars est ea, qua homines censemur, quae divinam naturam in nobis refert integram, haec mens est. Quid? quod eam daemonem rite nuncupamus, deum, inquam, cum mortali ista concretum natura? Qua de re

Plato in Timaeo, ubi de mortali et immortali animi parte explicat, divinitus his docet verbis (v. p. 90. A. sq.): «De praestantissima animi nostri parte ita est sentiendum, eam a deo *daemonem* cuique additam esse: hanc in summa corporis arce habitare dicimus, nosque ad coeli cognationem a humo erigere, tanquam animalia non terreno sed coelesti stirpe oriunda, id quod rectissime statuimus. Unde enim primus animo datus est ortus, inde divina vis caput radicemque et originem nostram aptans atque deducens totum dirigit corpus.» Haec hactenus. Quae ista verba proxime sequuntur, iis post magno cum fructu utemur. — Quamobrem autem animus, qui deus mortalis sive daemon est, ipsius amoris vel desiderii nomine nuncupatus sit a Platone, vel sic iam satis perspectum erit, et deinceps magis etiam intelligetur. — Nimirum animus, gubernatrice mente, quae eius flos est,. olim quidem contemplatione ipsius veritatis id est eius naturae, quae revera pulcra et bona perfectaque est et beata, delectatus fuit, integer inque ipsa aeternitate collocatus: aeternitas igitur et integritas per accidens laetitiae ei causa fuit. Itaque animus nunc, in ipsa inopia haerens et habitans, quum primum pristinos suos amores et delicias, quantum id quidem tenebrae divinorum, memoriae propter oblivionem offusae, patiuntur, recordatus est, illis cum iisdem circumstantibus potiri cupit, ac illic iis delectatus erat. Sed quia animus non tantum a deliciis suis et amoribus exclusum et remotum se esse, sed etiam circumstantia illa deficere non potest non sentire et augurari, perpetuo amore, tristi illo quidem et infelici, laborat. Nam quatenus illam conditionem deesse sibi sentit, eatenus nunquam non aliquid cogitat, quod illarum, quas amat, rerum possessionem et fructum excludat. Quum autem animus, quatenus quidem sui ipsius conscius sive memor est, illarum rerum non minus quam circumstantium prae amore cupidus sit, sequitur, ut, quatenus illorum aliquid videat, contristetur. Haec tristitia, quatenus absentiam et privationem eius quod amatur respicit, desiderium est. Quod desiderium quum animi naturae semper infixum haereat, semper desiderio ipse continetur, in eoque viget et vivit, sive id sentit homo in philosophando, sive non sentit ignorantia oppressus. Semper enim in hoc quidem vitae statu animus cum corpore cohaeret ac habi-

tat, vinculisque constrictus est terrae, loci contrarii divinae naturae, quae menti, delibatae eius parti, proprium, domesticum et nativum habet bonum, nimirum quod re vera bonum, pulcrum, perfectum et beatum est; animus igitur, licet cum delata et peregrina, at confusus tamen semper est cum natura eius, quod malum, deforme, imperfectum et miserum est. Manet igitur amoris finis, ut hanc suam inopiam et indigentiam cum opulentia et integritate commutare, seque explere et perficere studeat, id est ut eo potiri conetur, quod ipsum per se pulcrum, bonum et perfectum beatumque est; atque cum singulis hominibus, tum universo hominum generi eum amor habet stimulum, ut trahantur quasi et ducantur ad cupiditatem felicitatis sive perpetuae possessionis boni arctissime cum pulcro conjuncti, et ipsius immortalitatis cum bono sive pulcro conjunctae.

Sed duplex et anceps est in hominibus huius vis amoris, pro duplici et ancipite hominum ratione. Prout enim ille a nobis tractatus est, ita nos ipse tractat. Male si eum habemus et negligimus, malum eum experimur, infestum et iratum, neque εὐδαίμονες sed κακοδαίμονες exsistimus: contra si eum colimus, fovemus et alimus, denique totos ei nos tradimus, necesse est, possessionem nobis illam comparet, quam omnes amant, pauci adipiscuntur, et quam solam adeptus, εὐδαίμων evadit homo. Quamobrem, quum semper unus idemque amoris per se spectati sit habitus eademque indoles, tamen, quoniam ad universum genus humanum non eadem semper eius vis est, in depingenda eius indole diversa in eum et discrepantia nomina a Platone congesta sunt, quae et virtutes eius et vitia exprimant. Nuncupat enim Amorem philosophum et prudentiae avidum, eundem tamen sophistam, peritum incantatorem et veneficum. Quae profecto de amoris natura in uno eodemque homine inque uno hominum genere dicta esse nequeunt. Neque enim in quibus amor salutaris sapientiae amor evadit, in iisdem fallax et pestifera amoris magi, sophistae et venefici vis se ostendere potest: neque in quibus amor hunc habitum induit, iidem philosophari ullo modo dici possunt. Caeterum, exceptis istis discrepantiis, quibus salutaris aut pestifera ad homines amoris vis significatur, reliqua omnia, quibus amoris indoles, conditio et sors depinguntur, ea calliditate et diligentia a Platone

sunt concinnata, ut simul ea complectantur et declarent, quae amor tum bonus, tum malus, seu potius tum bene tum male habitus, et patitur et efficit pro duplici illa et ancipite ratione, cuius peiori parte declaranda primam, meliori secundam partem absolvemus explicationis eorum, quae de Amoris indole fabula narrat. Sed juvat, priusquam fallacem amoris sophistae, magi et venefici naturam ingredimur, ad percipiendam vim naturamque universi illius ancipitis amoris, qua omnis animi humani vita continetur, praeparare quasi animos Origenis verbis istis, ad nostram rem sicuti ad Platonis doctrinam egregie accommodatis: «Patet, amorem rem esse divinam munusque divinitatis, neque tamen semper ab hominibus ad ea quae Dei sunt et quae vis divinitus insita desiderat amorem dirigi. — Verum nonnulli hunc amoris affectum, qui animae mente praeditae insitus et naturalis est, aut ad amorem pecuniae trahunt et avaritiae studium, aut ad gloriam captandam, — aut erga venerem sectandam, — aut ad alia his similia virtutem tanti tamque divini huius boni effundunt. — Si — quod bonum est, idem probabile est: bonum autem proprie non in iis, quae corporis usu continentur, sed in Deo — cernitur: sequitur, ut ille demum amor probabilis sit, qui ad Deum — applicatur.»

III.

EXPLICANTUR, QUAE DE AMORIS INDOLE PRAVA DEQUE EIUS CONDITIONE ET SORTE FABULA NARRAT.

Animus semper quidem mentem conjunctam secum habet, eiusque innata facultate corpore et bruta vita praestantior est atque, dominatum in haec sortitus, e mortalis naturae inopia et tanquam squalore emergit. Itaque qui se ipse norit, sentiet, nullum unquam miseriae suae et inopiae finem futurum esse, nisi menti totum se dedat et ab hac sola se regi patiatur: sed homo non tantum valet, ut se ipsum semper videat, similitudinemque, quam cum divina natura habet, agnoscat; sed, ut

oculus, sic homo suam naturam non videns alia cernere solet; id quod ei quum potissimum accidit, quum vehementiam et impetum voluptatis brutarumque adpetitionum purae et mansuetae rationis voluntati anteponit, totumque se pecuinae parti dedit, ut eam se ipsum esse opinetur. Sic igitur homo, tanquam deficiente mentis acie ad verum spectandum, diffusaque et dissipata propter vim deteriorem anima, velut in lethaeum quoddam flumen, in umbras et simulacra mortalium et corporearum rerum immergitur, altusque ei sopor obrepit oblivionis, quae omnem conscientiam et memoriam similitudinis, quam cum divinitate habet, abluit: atque haec animo hominis malorum omnium atque infelicitatis causa et fuit et erit. Tum homo contra suam naturam absque ratione agit, tum contra suam dignitatem, principatu et dominatu pollentem, naturae necessitati servire ac parere mavult, et corpori deteriori, cuius inopia praestantiorem habet naturam, implicatus, ultra modum similitudinem deterioris et inferioris naturae amplexatur eamque praefert similitudini praestantioris: tum hominis vita, quae sola mente continetur mentisque amore, omnino fit nulla, et dissipata, diffusa atque distracta in multitudinem veritatisque speciem inanem dilabitur. Sed, quum ob insitam a natura omnibus mortalibus amoris tanquam scintillam unusquisque naturali illo, quod descripsimus, perficiendi sui sive felicitatis comparandae desiderio teneatur, quidnam tandem in illis efficit amor, qui mentem negligunt, cui qui innatus est amor, ut solus mortis et miseriae remedium est, ita unicum verae vitae et beatitatis est instrumentum? Quid, quaeso, istis fiet, qui mortali tantum sui parte vigent ac amant?

Hoc igitur priusquam docemus, velim audias haec ipsius verba Platonis de Timaeo, quae locum supra laudatum proxime sequuntur, et quibus philosophus docet, quid neglectio melioris partis, quem daemonem nuncupat, homini procreet (p. 90. B. sq.): « In eo igitur, qui explendis libidinibus et contendendi cupiditatibus incumbit, atque in iis, quae ad corpus pertinent idque attingunt, omnibus opibus elaborat, necesse est omnes opiniones omnesque animi sensus mortales fieri, eundemque, quam maxime id fieri potest, mortalem prorsus abire, quippe quum mortalem partem et naturam auxerit atque excoluerit. » Haec

igitur de neglecto ab homine divinae partis studio et incremento in Timaeo docuit Plato, quorum summa eadem est ac eorum, quae hoc de argumento nostra fabula ita docuit, ut daemonem illum Amorem nuncuparet, doctrinamque de pulcritudine et bono adtexeret, omnia denique fabulosa doctrina mirifice exornaret, explicaret et illustraret.

Ac primum quidem qui mortali tantum sui parte vigent et vivunt atque hac ratione amant (quamquam quomodo, qui non mentis amorem amant, neque mentis vitam vivunt, omnino amare aut vivere dici possunt?) — sunt igitur isti non philosophi, sed ignorantes. Etenim, quoniam homo tum demum philosophatur, quum ipse se cognovit, et, habitans apud mentem suam, pulcritudinis, bonitatis atque sapientiae inopem se esse agnovit; quonam tandem modo illi, qui, impediti desidia quadam voluntatis, ab eo labore, quem habet sui investigatio, abhorrent, seque ipsos non norunt, neque egenos se esse agnoverunt, omnino philosophari possunt? Stulti igitur non sua, propria et domestica id est mentis bona, quorum maximum est sapientia, sed delata, peregrina et mercata bona, revera autem boni umbras vel potius mala venantur. Nam bonum quidem omnes appetunt homines, et quidquid agunt, id omne adipiscendi boni causa agunt, sive id vere bonum est, sive iis esse videtur, omnisque actionis praecipuum esse finem boni adeptionem constat; malum autem in eorum actionem incidit hominum, qui, pravam amandi rationem secuti et decepti ab amore sophista, mago et venefico, animum iis adfigunt rebus et advertunt, quae oriuntur et intereunt cumque natura mala et bonitatis inope confusa sunt, quique non verum bonum sectantur, sed, decepti ab amore sensuumque et voluptatis fascino quodam deliniti, quod videtur esse bonum et cui conjunctum est bonum. Sectari autem tanquam ipsum bonum, quod non est ipsum bonum, impetuque amoris ratione destituto ad boni speciem prorumpere eamque amplexari, est haec profecto animi affectio, clam et invito quo nolebat delati: quod quidnam aliud, quam raptum quendam magicum esse dicemus? Et quum verum bonum vera et solida voluptas sequatur, ubicunqne amantium vulgus adumbratum aliquod voluptatis simulacrum animadvertit, non dijudicans, verane ea sit et vero bono cognata an fallax, adulterina et cum

malis atque damnis conjuncta boni umbra, ad eam tanquam ad bonum accurrit, neque expendit multiplicem molestiam, quae cum ea conjuncta est. Nam voluptatem adpetens aliquis moechatur et a libidinibus regi se patitur; divitiarumque cupidus furatur aut mare trajicit, praecipue quidem id quod bonum ei videtur adpetens et eius adipiscendi causa omnia agens, sed una cum eodem etiam malum illud, quod cum eo conjunctum est, accipere coactus. Nemo enim adulterium aut furtum per se adpetit, aut ullum aliud malum eo quod malum sit, quoniam malum per se non adpetitur. Nam si principium et causa esset eorum, quae ab ipso oriuntur, finis etiam eorundem esset, iisque expetendum, sicut bonum; si vero ita se res haberet, non jam malum, sed bonum esset. Quod enim expetendum est, id bonum: et quod bonum, idem expetendum. Itaque, quoniam omnes commodum suum felicitatemque adpetunt, sive veram, sive fallacem eius imaginem et umbram, amatores quoque illi secundi ordinis, qui plerique sunt homines, hoc agunt, ut bonum adipiscantur, quum tamen umbram eius, sed eam tamen ut rem ipsam, consectentur. Nemo enim volens decipitur, ut mendacium pro veritate amplexetur, simulacrum pro re ipsa, infelicitatem et miseriam pro beatitate. Etenim amatorum vulgus, etsi, quam quaerit felicitatem, non invenit, atque, si vel maxime invenisse se opinetur, miserrime frustratur, nunquam tamen alia re ad quidquam impelli censendus est, quam dira felicitatis cupidine. Sed illi quidem, qui tanquam per se bona et quasi finem amandi, ad quem omnia dirigenda sint, divitias, honores et potentiam, libidinesque adpetunt, quia soporati sunt et quasi stupefacti admiratione eius, quod in promptu est, boni, alias plane non perspiciunt redundans ex eo malum, alias, quamvis perspexerint, cupiditate deliciarum et amorum suorum subacti, sibi persuadent, bonum quod sectentur majus esse, malum cum eo conjunctum minoris momenti. Qua in re ut agnoscas temerariam fallacis Amoris efficaciam, exempli causa ponantur aliqua, quae pateant latius.

Ergo, ut ordiamur ab ea universi amoris parte, cui apud homines amoris nomen adhaesit, egregiae pulcritudinis amatores non pecuniam tantum omnesque suas divitias amorum causa non parce absumunt, sed cibum etiam ac somnum vestemque

et habitum omnemque astimationem, denique ipsum corpus vitamque contemnunt, dum amoribus suis potiantur, et, quum ad puellam, quam perdite amant, aliter pervenire non possunt, maria, muros, enses, denique omnia interjecta audacter transsiliunt, neque quicquam difficile, arduum, impervium sibi putant. Porro mercatores opum parandarum gratia trajiciunt maria et totam terram habitabilem oberrant, contempto aestu ac frigore, ventis ac procellis; piratis ac praedonibus vitam suam committunt, et pro nihilo habent senectutem, valetudinem, amicorum consuetudinem, uxorem, liberos, aliaque plurima domestica blandimenta, patriam, honores civiles, securam possessionem patrimonii, et si quid aliud magnum eos remorari poterat. Venatores in nive pernoctant, famem, sitim, frigus, vigiliam ferunt, cum apris, cum ursis aliisque indomitae feritatis animalibus de vita saepenumero decernunt ac dimicant, neque ullam sibi, ne ad praedam perveniant, difficultatem obstare patiuntur. An igitur horum quempiam sine spe voluptatis et felicitatis nullum laborem fugere arbitraris? Non, ita me deus amet. Nam ut ignorent bonum suum, sperant tamen. Quo autem magis cuiusque amor insanus est et ratione caret, eo major vis et audacia spei, arctissime cum amore conjunctae et confusae. Spe amor, quamvis ratione privatus, curis laxatur et recreatur, sustinetur et alitur; spes amorem animo deficere nunquam sinit, sed, ut bona, quae maxime optat, consecuturum se esse confidat, efficit. Quae quidem spes si ex hominibus exulasset, jamdiu commercia sua negotiator, et stipendia miles, navigationem mercator, rapinas suas praedo, et nocturna intermisisset furta moechus; quod illa neutiquam permittit, sed ad illarum rerum studium accendit, quae neque unquam perfici possunt, nec ad finem interdum perventura sunt suum. Certo enim, tanquam bonum per se et finem ultimum, ad quem dirigenda sint omnia, divitias quidem sibi proponit negotiator, miles vincere sperat, ad opes evadere mercator, praedo lucrari, moechus deliciis perfrui; at interim subita quaedam singulis accidit calamitas, quae negotiatorem spoliat, militem interficit, mercatorem mergit, in vincula conjicit praedonem, prodit scortatorem, quorum omnium amores et deliciae cum spe exstinguuntur et occidunt, id quod vel maxime vim amoris sophistae et venefici arguit. Nihil enim horum bono-

rum est, cui fines suos assignarit natura aut limites, non divitiae, non voluptas, non aliud, quodcunque sibi ex hoc genere proponere homo possit; sed infinita est eorum possessio, ut, qui ea sequuntur maxime, amorum et voti si fiant compotes, sitiant et inopes sint maxime; minus enim semper est, quicquid consecuti sunt, eo quod exspectant; itaque quae adsunt despiciunt, quae non adsunt desiderant, ipsamque abundantiam adepti, mox eadem velut dilabente et effluente, inopes ac pauperes, ut sunt re vera, ita rursus sibi esse videntur. Quid autem pauperius istis hominibus fingi potest, qui nunquam apud se habitent, qui nunquam domi suae se contineant, ut, perspectis domesticae pulcritudinis et bonitatis divitiis, simul videre possint, quam sit sibi curta suppellex, omniaque faciant et machinentur, quo inclusam mentis penetralibus inopiam cum verae pulcritudinis et bonitatis aeterna possessione commutent? Quis igitur miserior et pauperior esse potest eo, cui horum omnium ne per somnium quidem in mentem venit, qui e contrario, tractus et ductus dolosa et fallaci Amoris praestigiatoris arte, nunquam cessat a vagis istis et mendicis excursionibus et insidiis, semperque in externa et aliena natura, qua ipsa inopia hominis continetur, sua bona venari sibi videtur? Sic igitur animus humanus, quum semel ultra, quam ipsa flagitat necessitas, corpori se dedit et sensuum voluptatibus, inque rebus corporeis spem bonorum reposuit omnem, priora, reviviscente semper amore, semper negligit, novaque optat, et circumfluens maxime suis opibus desiderat quae habet, ut revera Tantali de iis qui ita amant fabula narrari possit; quid enim aliud, quam perpetua siti laborant eiusmodi homines, quorum inopiam nulla unquam accessio explere potest? Qui nunc quidem oblectationibus et opibus suis affluunt, nunc, refluente quasi et elabente copia, novis cupiditatibus reviviscunt, quae tamen cupiditates semper tristissimo dolore, metu ac perturbatione mixtae sunt. Si adest voluptas, timent, ne elabatur; si abest, timent, ne non ea potiantur. Quocirca necesse est, eum, qui in rebus externis boni et voluptatis spem reposuit, doloris et inopiae nunquam, iucunditatis et expleti amoris sensu semper vacare, ideoque perpetua in confusione et ambiguitate haerere et habitare. Latissime autem huius amoris inopia patet et ad plerosque pertinet homi-

nes, magis quidem minusve, sed tamen, exceptis sapientiae vere amantibus, ad reliquos omnes. Nam quum nemo eas res magnopere admiretur aut ambeat, quibus jam abundat, contra quum quisque suspiciat et quaerat, quo inopem se esse putat: quoties nos vel voluptates vel opes vel honores extrinsecus quaerimus, nonne arguimus avidum et egentem animum? Docemus philosophum, res nostras sine externa ope non consistere, et magnitudinem opulentiamque non recte affectantes, paupertatem nostram prodimus. Quodnam autem potest esse illustrius et certius documentum inopis, mendici, sordidi, jejuni, denique dissipati et diffusi animi, quam furioso fervore correptum, vagando et errando nunc huc, nunc illuc ferri et abripi, nunc hoc, nunc illud, quod amoris praestigiae tanquam bonum et pulcrum ostendunt, forinsecus efflagitare perditeque amantem potiri eo, omni machinatione sollertiaque adhibita, conari, se autem ipsum corpore et sensibus excubantem perpetuo fugere, sui contubernium ferre non posse? Nonne haec satis declarant, nos optimarum et pulcerrimarum rerum domi laborare inopia, nonne, inquam, arguunt molestum quendam pravarum cupiditatum fumum, intra animi nostri conclave inclusum, qui nos perpetuo extrudit ad externa? Et certe, ut in morbis, quum corpus non admittit quod proprium et domesticum est, multarum absurdarum rerum gignitur appetitus, sic homines, qui mentis inopiae domesticae, domesticis et cognatis deliciis atque amoribus amandis, non succurrunt, variis et insanis curis distrahuntur, et aut ad voluptates, aut ad honores, aut ad divitias rapiuntur. Et quo major hic inopis animi excursus, hoc est magis miser, sordidus et turpis et vero cruciabilis. Jam vero num mendicus a mendico egestatis levationem speret et petet, et dementis instar e pumice aquam eliciet? Egent et illi, unde satietatem homines petere solent. Nec regibus, qui tibi opes largiuntur, desunt suae inopiae: nec formosae deliciae, quae voluptatem tibi habere videntur, et quibus potiundis beatum te continuo fore speras, desunt sui dolores: mendicant et ipsae, miserae sunt. Atque hanc mendicitatem si dedignari atque semel deponere possemus, nullae exsisterent inter homines simultates, nullae turbae, sed commune quoddam dignitatis tuendae studium in humanis rebus versaretur. Sed quia hic vivimus ambi-

tiosa paupertate omnes, strepitus vitae tumultuumque et malorum nullus est finis. Tu communiter mecum idem aurum petis, tu locum et honorem hunc ambis; et ego itidem. Tu vel solus vel primus vis esse apud eam, cuius specie et amore teneris; et ego itidem. Haec est communis quaedam mendicitas, ut est apud Hesiodum, πτωχὸς πτωχῷ φθονέει. Quod si nos hic aliis permitteremus vulgares cupiditates, et perpetuam curarum varietatem ad veram, id est ad mentis inopiam pertinere debere putaremus, vere maximis rebus potiremur: illi turpiter decepti, putantes se laute accubare, turpiter et misere inter ferculorum et deliciarum umbras positi, media in copia esurie perpetua excruciarentur. Et undenam tandem omnia ista, quae mortalium animos cruciare solent, mala oriuntur, nisi ex eo, quod tota felicitas aut infelicitas in sola qualitate objecti posita est, cui adhaeremus, pestifera et fallaci amoris vi impulsi? Nam propter illud, quod non amatur, nullae unquam orientur lites, nulla erit tristitia, si pereat, nulla invidia, ab alio si possideatur, nullus timor, nullum odium, denique nullae erunt commotiones animi; quae quidem omnia contingunt in amore eorum, quae non aeterna, sed fluxa sunt et caduca, ut haec omnia, quae homines, duce et auspice amore sophista, fascinatore et incantatore, expetunt et desiderant.

Sed cum in omnibus hominibus fallacis cernatur vis amoris, exceptis quidem iis, qui sui juris sunt, qui sapientiam candide amare didicerunt, suaque bona et pulcra, non aliena venantur, tum vero eadem in iis praecipue elucet, quos ille ad universi huius, quem informavimus, amoris viam et rationem convertit eam, cuius ad angustias loquendi consuetudo amandi nomen, ab universi generis majestate temere avulsum et detractum, adstrinxit. Cuius quidem rei ea exstitit causa, quod huic amoris parti homines, quamvis ceteroquin, huc illuc dissipati, multum in amando differant, tamen ad unum fere omnes indulgent. Est autem haec amoris forma et species ea, quam prae caeteris in Convivio Plato exornavit et illustravit et cuius hunc finem esse docet, pulcri partum in pulcro, et quod ad corpus et quod ad animum. In hoc igitur studio, exceptis item iis, qui, semel conspecta sapientiae et virtutis pulcritudine, mi-

rabili eius desiderio incensi sunt, apud reliquos omnes vel maxime apparet vis et indoles eius amoris,

— — *qui pectus inaniter angit,*
Irritat, mulcet, falsis terroribus implet,
Ut magus. —

Quam quidem amoris vim nos oratione ducta ex Platonis fabula et humanarum rerum contemplatione proximis illustrabimus.

Itaque ut fascinatoris vim amoris in eo amandi genere, cui amoris nomen peculiare est, patefaciamus: corporum quidem pulcritudo iis continetur, quibus animalium corpus expletur et absolvitur: quae quidem, licet corpus, quoad eius fieri potest, exornet et splendidum reddat, eadem tamen deformis materiae particeps fit et in eam demergitur eaque impletur. Animi autem pulcritudo, his soluta omnibus ex iisque emersa, non jam simulacrum pulcritudinis, sed ipsa per se pulcra, puraque et puta est, non partim quidem pulcra, partim vero non item, sed et tota et penitus pulcra, ut sunt omnino animae formae sinceriores et puriores iis, quae in corporibus inque rebus corporeis insunt et ob id ipsum earum primaria sunt principia. Itaque qui mente quasi lumen quoddam pulcri adspexit vel in se vel in alio, pulcritudinem corporis, illa privatam, contemnit et despicit. Sed apud illos quidem homines, qui, obliti simplicis mentis eorumque, quae mente continentur, quique, sensibus tantum vigentes ac viventes, variam pro sensuum natura, multiplicem, perpetuaeque mutationi obnoxiam animam effecerunt, ideoque nunquam veram id est animi ac mentis pulcritudinem, sapientiam ac virtutem, amplexati sunt; — apud hos igitur hanc vim habet amor, ut eos, a veritate mente percipienda et in corporibus venanda aversos, ad ea, quae videri et tangi possunt, venustate et splendore oris alliciat, eosque voluptatum illecebris ducat et trahat, ut praeter eam, quae in promptu est, formarum venustatem nullam aliam usquam vigere existiment, neque unquam ad illud exemplar adspirare discant, cuius ista ipsa formarum venustas, conflata ex lineamentorum figura coloribusque et succis bene mixtis, non nisi caeca imago est et vestigium quoddam. Quid? quod plerique adeo misere amore percelluntur et inficiuntur, ut procreanda in pulcris istis formis

sobole, propagandoque genere et nomine, immortalitate nescio qua et, si diis placet, ipsa beatitate potiri se posse opinentur. Sed alii quidem, qui, licet sui magis quam illi memores sint, suumque interdum opus et vitam suam agere non dediscant, non tamen continuo candidi et integri philosophi, sed philosophiae sunt candidati, sentiunt illi quidem et ipsi amoris vim, quae ad procreationem et sobolis curas ciet, atque, conspecta pulcritudine, quasi fascino quodam inviti itidem alliciuntur; et hac quidem ex parte ipsi quoque ab insipiente sui parte trahuntur et ducuntur, sed iidem meliore sui et divina parte anguntur et dolent, nimirum quia sentiunt, se hac quidem ratione non suam, sed non nisi materiae ac naturae mortalis indigentiam et inopiam explere et sublevare. Hi igitur, quoniam aliud quoddam vere bonum et pulcrum in amplexandis amoribus suis suspiciunt et augurantur eiusque avidi sunt et capaces, ob id ipsum magicis nodis non undique illaqueantur. Illi autem, qui huius rei studio dediti, amore ipsius in forma pulcritudinis defiguntur, ideoque rem sectantur, hi jam decepti ipsius pulcri umbra et specie, voluptatisque veneficiis quibusdam adeo irretiti sunt, ut voluptatis pestiferae quasi clavis humo affixi ipsius formosi corporis fructu boni et pulcri possessione perfrui potirique sibi videantur. Adeone autem homines, amoris artibus deceptos, a veritate deflectere posse, ut, quum iis omnis spes beatitatis in se ipsis, id est in iis bonitatis et pulcritudinis copiis ponenda sit, quae re vera nativae, domesticae semperque duraturae sunt, nunc, miserrime obliti suae dignitatis, se ipsis abutantur seque solido ac vero bono pulcroque fraudent! Eone illos, dira coactos fascinatoris amoris cupidine, sese abjicere, ut bonum et pulcrum sensibus venari et haurire nunquam desinant! Heu abundantiam laboriosam, pulcritudinem deformem, splendidamque ac speciosam turpitudinem! Quid enim assequuntur tandem ii, qui, nativa pulcritudine et in se et in aliis nunquam adspecta, eius umbram, id est pulcritudinem corpoream cum deformitate confusam amplexantur, eaque tanquam re ipsa potiri ac perfrui gestiunt? Videlicet nil solidius voluptate dolori permixta adipisci possunt, videturque ea vertigo, is error eos pervertere, ut in nubibus et velut umbris id quod desiderant inaniter venentur puerorum instar, qui arcum coelestem mani-

bus captare gestiunt, id ipsum, quod apparet et in promptu est, appetentes. Sed miseriam et inopiam innatam huic amori, qui sola voluptate continetur vanaeque opinionis perturbatione ac tumultu movetur, quique vel tum, quum suis deliciis potiri sibi videtur, miserrime a veris amoribus suis exclusus apparet; — huius igitur amoris miseriam et inopiam optime, significata simul eius causa, his versibus nobis depinxit Lucretius (Lib. IV. vs. 1087. sqq.):

Nam cibus atque humor membris assumitur intus,
Quae quoniam certas possunt obsidere parteis,
Hoc facile expletur laticum frugumque cupido.
Ex hominis vero facie pulcroque colore,
Nil datur in corpus praeter simulacra fruundum
Tenvia, quae vento spes rapta est saepe misella.
Ut bibere in somnis sitiens quom quaerit, et humor
Non datur, ardorem qui membris stinguere possit,
Sed laticum simulacra petit frustraque laborat,
In medioque sitit torrenti flumine potans,
Sic in amore Venus simulacris ludit amanteis;
Nec satiare queunt spectando corpora coram —

et paucis de vanis amoris satiandi conatibus interjectis (vid. vs. 1115.):

Parva fit ardoris violenti pausa parumper;
Inde redit rabies eadem, et furor ille revisit,
Quom sibi, quod cupiant ipsei, contingere quaerunt,
Nec reperire malum id possunt, quae machina vincat:
Usque adeo incertei tabescunt vulnere coeco.

Nimirum animi virtus in ea est parte, quae per se quidem ex ea delibata est natura, quae sola re vera viget et pulcra est ac bona, sed eadem tamen naturâ in eo haeret rerum genere, quod, per se quidem prorsus inane, nil nisi delatam et precariam pulcritudinis, bonitatis et vero vitae umbram habet: quapropter animi inopiam et indigentiam raptis ex ea natura bonis et pulcris, quae animo aliena est, non magis sanaveris, quam si vacuum et esurientem ventriculum iis dapibus eoque epulo expleveris, ubi omnis generis depicta dumtaxat esculenta appo-

nantur. Sed venenosa et pestifera amoris vis homines tantopere inficit, ut, distractis libidine animis, minime possint de alio quoquam bono pulcroque cogitare, adeoque suspendantur et occupentur, ut sibi in aliquo vere bono ac pulcro acquiescere videantur, neque unquam animadvertant, ista omnia, quae sensibus percipiuntur et corporis natura continentur, quorumque amore tam vehementi accenduntur et irritantur quasi ea semper sint habituri, aut quasi, quae tam perdite amant, semper futura sint, — haec igitur omnia imaginaria et adumbrata esse et ad tempus dumtaxat faciem aliquam ferre, nihil horum verum, nil solidum, nil stabile, omnia denique pauperrima, miserrima esse. Itaque nunquam potiuntur et perfruuntur solida beatitate, sive perpetua possessione boni arctissime cum pulcro conjuncti, vel, si quaeris, nunquam potiuntur ipsa immortalitate cum bono sive pulcro conjuncta.

In unum nunc mente colligito omnia, quae adhuc de amore disperse et diffuse dicta sunt, eaque tibi in conspectu quasi animi ponito: tum sane cognosces, quinam sit Amor ille, cuius tam insuavem et non vitalem fabula depingit vitam, qui semper sordidus, horridus, exilis sit, et, nunquam domi suae habitans, semper ante fores deliciarum et amorum suorum, exclusus ab iis, sub divo pernoctet, qui denique semper in mendicitate et inopia habitet et haereat. Neque minus videbis, quid sibi illud velit, quod Amor depingitur ut insidiator bonorum et pulcrorum, ut fortis et temerarius, ut peritus venator, machinator assiduus, ut is, qui tum quidem inanis languescat et emoriatur, tum vero reviviscens novo ardore crescat, in ipso autem affluentiae fructu dilapsam amittat semper et desideret possessionem.

Haec habui, quae dicerem de indole et natura Amoris non philosophi, sed sophistae, incantatoris et fascinatoris, denique daemonis,

Quo non est certior ullus
Mortales pulcri falsa sub imagine mentes
Fallere letalique animos afflare veneno.

Absoluta igitur et ad exitum adducta explicatione eorum, quae de prava duplicis et ancipitis Amoris natura fabula nar-

rat, sequitur, ut Amoris faciem et tanquam formam illustremus eam, quae nobis non sophistam, magum et fascinatorem, sed genuinum philosophum exhibet. Quod quo fiat melius, a repetenda vi et ratione eorum, quae adhuc a nobis in medium allata sunt, disputandi initium capiamus.

IV.

EXPLICANTUR, QUAE DE AMORIS INDOLE BONA DEQUE EIUS CONDITIONE ET SORTE FABULA NARRAT.

Homo ea natus est lege et conditione, ut anima quidem, quae in corpore haeret et habitat, in mortalem, malam, deformem et ratione destitutam, denique in naturam divinae naturae aeternitatique contrariam depressus quasique demersus et detrusus sit, mente autem origini suae, id est aeternae ipsius bonitatis, pulcritudinis ac sapientiae naturae haerere et sic daemonis locum et ordinem tueri possit. Jam mens, quae imperium in animam, mortali impletam natura, exercet, semper per se quidem id molitur et machinatur, ut se erudiat, quumque imperfecta sit, sese perficiat, id est, ut desiderium eius, quod ipsum per se pulcrum, bonum et perfectum est atque beatum, comparata simul immortalitate et aeternitate, expleat.

Itaque quum homo ob consuetudinem cum corpore immemor sui, abjecto sceptro et neglecto rerum immortalium incremento, mortalem partem auget corporisque voluptates et libidines praeoptat nec non corporis affectionibus se dedit; tum corpori et mortali naturae fit obnoxius; et, ut agnoscas, amorem, prout a nobis tractatus fuerit, ita nos ipsos tractare, felicitate sive beatitate, id est perpetua possessione boni arctissime cum pulcro conjuncti, et ipsa aeternitate cum bono et pulcro con-

juncta minime potitur. Nimirum, quia mortalem tantum, deformem malamque et insipientem sui partem amando viguit et vixit, infaustum amorem experitur, incantatorem videlicet, fascinatorem et sophistam; quid? quod ipse eam induit Amoris indolem eademque vivit conditione ac sorte, quam Platonis fabula in conspectu paene animi ponit.

Tum vero, quum homo sobrius est suique memor et compos, quumque desiderium illud, quo incensus est, pristinae integritatis et affluentiae bonis et pulcris, non adumbratis et peregrinis, sed suis et domesticis lenire et, quoad eius fieri possit, explere studet, despectis et pro nihilo ductis omnibus corporis voluptatibus et nugis, dignitati suae paret, suaque et domestica bona augere studet; tum, inquam, homo integer et vere homo evadens, philosophando integram et salvam amoris naturam servat, eiusque vitam vivit, denique, ut mortalis, immortalitate atque beatitate potitur.

Quemadmodum autem non sine magno fructu illustri illo Timaei loco, ubi Plato de mente tanquam daemone homini addita docet, cum ad constituendam et definiendam Amoris daemonis naturam, tum praecipue ad illustrandam priorem partem eius rationis, qua amoris in homine vis continetur, usi sumus; ita eundem hunc locum in aperienda altera rationis illius parte respiciamus, et, si quid forte inde in nostram rem derivare possimus, experiamur. Timaeus igitur, quum iis, quae supra attulimus, verbis docuisset, quae sit illorum ratio, qui mentem suam divinamque indolem non excolant, augeant et alant, de eodem argumento explicare pergens, quid in iis divinitas efficiat, qui contra faciant, his docet verbis (v. p. 90. C. D.): «At vero is, qui discendi amore et cognitionis studiis flagraverit, omnibusque opibus hac in re elaboraverit, eum necesse omnino est, si quidem veritatem attigerit, immortalia et divina complecti, et quatenus quidem humanam naturam immortalitas attingit, huius rei nulla non parte potiri, nec non, quoniam divinitatem semper colit daemonemque in se suum praeclare perfectum et expolitum habet, imprimis beatum fore. Haec autem unica omnino cuiusque rei est cultura, ut proprium cuique pabulum et motum tribuas. Ei vero parti, quae divina est, motus cognati et domestici sunt universi cogitationes et circuitus.

Quos sequentem unumquemque nostrum oportet illos in nobis circuitus, circa generationem in capite turbatos et corruptos, redintegrare, et hac ratione, cognoscendis universi concentibus conversionibusque, ei quae intelligitur naturae assimulare vim intelligentem secundum pristinam sanitatem et integritatem, assimulando autem finem assequi optimae eius, quae a Deo nobis proposita est, vitae et in praesenti tempore et in futuro.» Haec Timaeus. Quo autem melius videatur, quantum hic locus momenti habeat ad nostram quaestionem de ancipitis illius et duplicis in amando inclinationis via ac ratione altera, secundum quam in mentis divinitatem propendet hominis voluntas: subjiciam simillimam et maxime geminam rationem summae eorum, quae Plato hoc Timaei capite et nostra fabula docet.

Ac primum quidem vidimus, a Platone in Timaeo quidem mentem, vim hominis gubernatricem, tanquam eam partem informari, quae in nobis divinam naturam conservet integram, et daemonis dignitatem ac sortem sortita sit. In eadem doctrina fundamentum positum esse docuimus eorum, quae in Convivio de Amore daemone Plato docet, ita quidem, ut quoniam divina animi vis domesticam, qua orta est, divinae naturae, praesertim pulcritudinis excellentiam desiderat et postliminio quasi ad eam redire semper cupit, ipsius Amoris nomine a Platone significata sit. Quod autem ad intimam attinet necessitudinem, qua in Convivio animus sive Amor cum divina pulcritudine sive Venere jungitur: principia eorum, quae de Amore dicuntur in Convivio, ex doctrina de Amore in Phaedro derivata sunt, temperatis quidem reliquis ex amplificata, explicata et castigata doctrina de pulcro deque finibus bonorum et malorum. Quam vero animi, in quo virtus divina cernitur, originem esse Plato in Timaeo aperte et dilucide docet, divinum dico mundi animum, divina contentum mente, eandem, nostra quidem ex interpretatione, Afflui, Amoris patris, nomine expressit. Et sicut in Timaeo duplex et anceps ratio hominum sortis aperitur, prout ab iis aut bene aut male divina animi natura tractata fuerit, altera mala, qua priventur sua dignitate et beatitate, bona altera, qua se perficiant et redintegrare studeant, et, recuperato pristino vigore aeternaque vita, beati abeant; ita in diversa et discrepante, quam fabula in Convivio Amori tribuit, natura,

bona quidem philosophi, mala autem sophistae, fascinatoris et incantatoris, eadem anticipitis inclinationis via et ratio apparet. Profligata autem quaestione de natura Amoris non tam mali, quam male a hominibus habiti, quam apte comparato Timaei loco gravissimo instituimus, de prima parte eius rationis, qua quasi cardinibus universa Amoris natura continetur, explicitum a nobis fuit; restat, ut, comparato secundo Timaei loco, videamus de Amore philosopho et cognitionis cupido.*) —

Homo igitur, qui se ipsum cognoscere suique indies magis memor fieri studet, antea omnia quidem agnoscit, animum se habere corpore brutaque vita praestantiorem mentemque dominatum in haec sortitam: itaque eximens sese externis, suum adversus illa statum tuetur, iisdemque tanquam instrumentis utitur, atque ministerium illorum ad suum refert bonum, quod in similitudine, quam cum divina natura habet, repositum videt. Qui enim se ipsos cognoscere student memoresque sui facti ad mentem et bonam frugem se recipiunt, sentiunt hi sane, eatenus se bonos et pulcros non esse, quatenus, olim divinae naturae radicibus defixi, eidem non inhaeserint, sed a divinitate sese avellerint, suaque quasi radice deserta marcuerint et contabuerint, sapientiae, bonitatis, pulcritudinis inopes facti. Itaque quoniam lapsu in naturam sibi contrariam seque alienam di-

*) In tractando hoc argumento ita versabimur, primum ut eorum vim et naturam verborum aperiamus, quibus Plato significat, quomodo sapientiae amor in homine excitetur, tum ut ea verba enodemus, quibus Amoris facies quasi et persona depingitur, ita quidem, non ut in iis amplius incantatorem, fascinatorem et sophistam, sed ut philosophum et scientiae cupidum spectemus Amorem. Itaque et ea verba, quibus commixta ex Afflui et Inopiae natura Amoris natura et indoles depingitur, et conjuncta cum iis verba, quibus de philosophi amoris origine Plato magis jam διαλεκτικῶς, quam μυθικῶς exponit, ab iis, qui nostram dissertationem suis ponderibus aestimare nostramque explicandi rationem assequi voluerint, quam religiosissime relegi volo. Sunt autem haec illa verba ex nostra interpretatione pag. 56 inf.: „Itaque Veneris comes et sectator factus est Amor — — matre autem insipiente et inope consilii“ pag. 57 infr. Ceterum vix est, quod doceam, me meam explicationem et enodationem eorum, quae de divinis illis numinibus et praesertim de Affluo deque diversa ab eo Inopia dicuntur, tanquam certam et concessam ponere.

vinae naturae dissimiles se factos esse agnoscunt, fugae a Deo contraria ab omni malo fuga medentur, et recuperando statu naturae consentaneo, propiusque semper, mente auspice, sese admovendo ad illud, ex quo animus ductus et propagatus est, divinum omnis bonitatis, sapientiae et pulcritudinis exemplar, perficere se student; quocirca hi soli id, quod ipsum per se pulcrum sive bonum, perfectum et beatum est, revera desiderant, trahunturque ad cupiditatem beatitatis sive perpetuae possessionis boni arctissime cum pulcro conjuncti, denique ad ipsam immortalitatem cum bono sive pulcro conjunctam recta via grassantur.

Audi, quaeso, quaenam sint deliciae philosophi amoris, cognosce, quomodo se exhortetur, quoque modo se stimulet et excitet, ut totum se dignum amoribus suis praestet (v. Platon. Theaetet. p. 176, A. B. et cf. supra pag. 68. dicta): «Malum mortalem naturam et hanc nostram sedem ambit et circumvagatur. Quapropter danda est opera, ut hinc illuc quam celerrime fugiamus. Fuga autem est, ut Deo, quam proxime fieri poterit, assimilemur atque conformemur. Deo autem nos assimilat justitia et sanctitas cum sapientia conjuncta.»

Hae igitur virtutes, sapientia, sanctitas et reliquae cum iis conjunctae propter id unum verae bonae sunt, quia illorum possessione atque fructu potimur summi illius et unici boni, talique animum nostrum dignitatis dote locupletamus atque exornamus, ut interim nil deficiat ab illa, quae mente divina continetur, bonitatis forma et specie. Ad quam quo propius, tanquam ad boni pulcrique exemplar, germanus amator accesserit, hoc venustior, hoc amabilior ac perfectior et ipsa illa species et ipse apparet cum sibi, tum aliis, qui quidem elegantes animi formarum spectatores sunt. Itaque pulcritudinem et venustatem domesticam nativum animi sui statum esse philosophus persuasum habet, quem mens a divina mente pendens praescribit atque postulat et qui absoluta ac perfecta conficitur sapientia, sanctitate, justitia et reliquis harum sororibus virtutibus. Sed quum virtutis et pulcritudinis comparandae initium sit mali deformitatisque diminutio aut certe fuga, ii, qui se ipsos perspiciunt et intelligunt, dignitatis suae conservandae nobilitatisque recuperandae omnem in mente spem reponendam esse, quicquid

eos impedit, quominus, a simulacris repurgati, atque ab umbra rerum ad semet ipsos et ad id, quod revera est, conversi et inclinati, veras rerum divinarum et virtutis formas mente concipiant et informent, informatas autem in humanitate exprimant, omne id malum suum suamque inopiam ducunt, et, ut fugiant atque amoveant, summopere elaborant. — Sed haec hactenus universe a nobis disputata sunt. Accuratius videamus de singulis.

Ac primum quidem homo, simulac sui ipsius memor et mentis compos est factus, sapientiae amator exsistit. Duplex autem est animi philosopha facultas, altera, qua apprehendit divinitatem extra et supra humanitatem vigentem ac viventem, altera, qua apprehendit, quod in homine ipso viget divinum, atque hac quidem ex parte animus id est ipsum, cui divinitatem tribuimus; quapropter daemonis nomine eum ornavit Plato. Natura namque animo praedita nisi reapse divina esset, nulla unquam machinatione aut via ad veram cognitionem pervenire, aut verum Dei amorem imbibere posset. Neque corporis oculus unquam solem adspiceret, nisi factus esset solaris, neque mens, quae quasi quaedam animi acies est, nisi delibata pars et similis facta eius naturae esset, quae tanquam sol mundi intelligibilis sapientia, pulcritudine ac bonitate fulget, divina suspicere, amare et desiderare posset. Simulac autem homo agnoscit, mentis se esse participem, agnoscit, se ob id ipsum, quod mentis partem sortitus sit, non omnem vitae perfectionem ac vigorem, omnemque veritatis, bonitatis, pulcritudinis copiam domesticam possidere: quae omnia quam certo scit se non absoluta habere, tam certo persuasum habet, esse superiorem quandam naturam, eaque se ortum esse. Quod quidem eodem jure affirmat, quo, qui in terris in ditione alicuius sunt, quamquam eum, cui parent, nunquam oculis usurparunt, neque remoto eius domicilio appropinquarunt, esse tamen eum persuasum habent. Necesse autem est, illam divinitatis naturam mentem sibi informet, non societate veritatis fruentem eiusque participem, sed ipsam veritatem, se ipsa contentam, mentem veritatis ipsam essentiam, sapientiam omni perfectione, bonitate et pulcritudine affluentem. Nunquam enim is, qui vere sapientiam amat, eam, quae in universo est, sapientiam legibus atque conditioni ratiocinandi et me-

moriae adstrictam esse putabit. Quae eorum ratio est hominum, qui sapientiam in non sapiendo ponunt, idemque esse opinantur inquirere sapientiam desideratam ac sapere. Etenim ratione discurrere quidnam tandem est aliud, quam appetere sapientiam veramque rationem, participem factum eius mentis, quae revera est? Qui enim ratiocinatur, similis est pulsanti citharam ipsius pulsandi gratia, meditantique ad habitum consequendum, omnino discenti cognoscendi gratia. Ratiocinio enim id quaerimus discere, quod qui jam possidet, sapiens est: quapropter in statu quodam stabili est sapientia; id quod ipsa ratiocinatio testatur: nam cum primum invenit, quod optabat, agitari desinit et nova particula sapientiae potita conquiescit. Sed et ex iis, quae obiter hic dico, et ex illis, quorum causa pauca ista quasi praeteriens docui, sequitur, homini cum mente non continuo facultatem datam esse ipsius veritatis plene et cumulate percipiendae, sed nonnisi sensum et conscientiam inscitiae suae, et, si quaerimus, divinationem veritatis. Num vero ullum unquam desiderium, ulla indagatio aut investigatio in hominem cadere posset, nisi in eo, qui desiderat, venatur et investigat, eius rei, quae desideratur, anquiritur et investigatur, obscurata licet et adumbrata at species tamen et forma expressa esset? Ex ipsa, quae sentitur, cibi penuria nos enecante nunquam enasci poterit grata animo expletionis aut eius, qui explet, cibi cogitatio ac notio. Ipsa indigentia per se nunquam indigentiae remedium reperit, quod sola invenit experientia. Rursus ipsa experientia esse omnino nequit sine animo, ipsa natura praesagiente, divinante quasi et augurante. Haec igitur mentis quoque natura est; ad hoc mens necessario tendit et ducitur, ut illas, quae ipsi divinanti et auguranti obversantur, formas veritatis, bonitatis ac pulcritudinis, quarum fame quasi sitique et inopia laborat, tanquam id ipsum, quod quaerat, ultimumque omnium studiorum et amoris finem sibi proponat. Qua quidem in re ipsa cernitur vis platonicae doctrinae de memoria et oblivione: mens enim, quatenus ignorat ipsam entis naturam, qua pulcritudo et bonitas continetur, quamque cognitione non possidet, sed venatur, eatenus oblivione obruta est: quatenus autem mens, ducta ineffabili quodam desiderio, ad eas, quas adumbratas retinet, formas rerum cognitione perpetuo ulterius progrediendo accedit,

eatenus potitur iis, quibus exciderat, eatenus, quae venatur, capit, discit, quae dedidicerat, recordatur, quae oblivione effluxerant. Jam quum necesse sit, omnes, qui summae illius sapientiae, pulcritudinis ac bonitatis, quae perfecta et se ipsa contenta est, quasi lumen quoddam adspexerint, illasque virtutes omnibus perfectione praestare et propter id ipsum augustissimas maximeque venerandas esse senserint, easdem continuo venari et desiderare, quoniam se ab earum infinita immensitate deficere iisque se inopes esse agnoscunt, nihilque prorsus suspicere praeter ea, quae ad summum illud coeleste bonum referuntur et cum eius fructu perficiuntur; sequitur, ut, quo magis philosophus apud mentem suam habitat et in sese recedit, eo magis nihil esse sibi putet, quod, ut amoribus suis ac deliciis potiatur, non paratus sit et perferre et perpeti, eo magis ut amando ex se excedere discat, et, oblitus caeterorum omnium, totus se dedat divinarum deliciarum investigationi; nisi enim adeptis illis, quantum id quidem fieri possit, vitam ipsam sibi acerbam penitusque insuavem fore statuit.

Num te vel ea, quae adhuc disputavi, dubitare amplius sinunt, quis sit ille Amor philosophus, qui, ut deterior ille, ipse quoque horridulus, nudipes et extorris oberrat, qui perpetuo rapitur ad amores suos ac delicias, atque infelix, ab illis exclusus, ante fores sub divo pernoctat denique inops perpetuo est, sed in ipsa inopia nunquam non omni studio omnique adhibita machina pulcra bonaque venatur et prudentiae avidus est?

Nimirum idem semper habitus eademque indoles amoris. tum philosophi, tum sophistae, utramvis amoris studiorum rationem respicias: semper enim se contentus non est, semper extra se aliquid boni et pulcri venatur et investigat, ad quod se applicet et adjungat quasi, ut eius ubertate suam indigentiam et inopiam expleat et sublevet. Sed amore quidem male sano et fallaci homo afflatus, ad cupiditatem rapitur fluxae et caducae pulcritudinis speciei, quae in corporibus rebusque corporeis capitur, bonique et pulcritudinis umbram ut ipsam amplexatur pulcritudinem ac bonitatem, et sic nativae atque domesticae virtutis prorsus inops abit, quoniam ipse sibi viam ac rationem praecidit, qua strenuo et contento animo progressus, amoribus suis divinis, ut mortalis, potiri poterat. At vero philosophus vere

amat amor, veramque ambit pulcritudinem, nec non vera et solida venatur bona; quo autem modo ipse quoque duras experiatur delicias suas ab iisque exclusus sit, et quatenus ipse quoque in penuria semper haereat et habitet, quatenus denique non hoc tantum, sed omnia ea propria habeat, quae a Platone in deteriorem Amorem aptissime congesta esse vidimus, id cum ex ipsis iis, quae jam docui, facile cuique tum sui, tum verae philosophiae perito perspicuum erit, tum mox magis etiam planum fiet.

Ergo tunc, quum secundum id, quod in ipso divinum, summum supraque caetera elatum ac solum liberum est, cogitat ac vivit et agit homo, corpore et mortali natura se eximere fugaque ad divinam et immortalem naturam se ab illis separare studet: et hoc ipso ab inopia, in qua habitat et haeret, se avocans foras exit atque *udam spernit humum fugiente penna.* Oportet enim omnino verum sapientiae amatorem, si quidem inopiam sapientiae quam maxime se alienam putat inque mortalitatem contumax est eaque superior, nihil sic agere, quam ut semper studeat corpore sese separare; quamobrem secundum Platonis in Phaedone doctrinam existimandum est, philosophiam mortis affectum esse consuetudinemque moriendi. Itaque philosophus, quamquam cum divinis ac coelestibus deliciis suis familiariter quasi versandi nunquam liberam facultatem habet, semperque, deformis inopiae necessitudine obstrictus, et loco et conditione ab iis exclusus est, nunquam tamen non illas, quae in medullis eius ac visceribus haerent, in oculis fert et colit, atque revocandis et redigendis in memoriam iis, quae, antequam nasceretur, cognitissima ei erant, postliminio ad illa redire amoribusque potiri ac perfrui molitur, nihilque praeter hoc sibi bonum, nil amabile, nil expetendum ducit: omnem spem, omnem suavitatem, vitam denique ipsam in hoc studio positam credit. Perfectissimus enim, ut vidimus, ad divinitatem ascensus et inclinatio fuga est ac declinatio mali et inopiae, id est omnium rerum, quae cum mortali et humili conjunctae atque confusae sunt natura quaeque sensuum modulo metimur, denique animus, qui in mediis turbis ac nugis vulgaris et profanae vitae suae tabernaculum vitae in sapientiae studiis ponit inque contemplatione

ac imitatione divinarum aeternarumque veritatis, virtutis et pulcritudinis formarum.

Incensus autem cupiditate discendi vel potius reminiscendi philosophus, omnia sibi, dum eo, quo instituit, perveniat, contemnenda et pro nihilo habenda esse ducit: semper aliquid altum, aliquid arduum et pulcrum cogitans atque moliens, jungit noctes diebus, noctibus dies, denique semper ad sapientiae fores cubat. Est enim omnino amor discendi suapte natura valde curiosus, qnovis vadens impigre, rimans omnia, nihil, quod veri, pulcri, boni aliquod vestigium habeat, impervestigatum sibi relinquendum esse putans, idemque cum natura liguritor sit maximus spectaculorum sermonumque, non contentus domesticis et patriis peregrinos etiam ac longinquos appetit et adit. An vero mercatores, fallaci opum parandarnm amore ducti, tam multas, tam longinquas, tam periculosas peregrinationes suscipiunt; domum, uxorem, parentes, liberos relinquunt; ventis, fluctibus, piratis ac praedonibus vitam suam committunt; perpetuum prope sibi exilium indicant: is, qui philosopho discendi amore flagrat, propter pulcerrimam et omni studio, omnique labore dignissimam, solamque homini domesticam et nativam sapientiae possessionem non omnia trajiciat maria, omnes terrarum recessus perlustret diligenter sciscitando, sicubi quid sit pulcrum auditu vel visu, ingentique cum alacritate investigando, donec contingat quaesitis desideratisque potiri? Et si quando philosopho amori quaerenti non statim se, quod quaerit, offert, non taedio laboris deficit; neque enim per otium sua sibi bona adfluere tenet, sed multis magnisque laboribus vix paranda esse. Est enim omnino haec discendi conditio et natura, ut finibus praescribendis coërceri se non patiatur. Veluti si philosophus discendi avidus constituerit, alicuius rei cognitionem ad certum terminum gradumque consequi, gradumque istum attigerit, mox infra eum labetur et acquisitam cognitionem effluere sinet, nisi eam continuo cogitatione recolat, repetat et ab instante ubique taciteque obrepente inopi oblivione excercendo defendat. Contra, si acquisitam cognitionem recolat ac repetat, supra propositum gradum ascendet, multarum partium notiones, quas adhuc implicitas confusasque habuit, evolvet, explicabit, illustrabit, itaque cognitionem suam amplificabit. Cavet itaque philosophus, ne unquam labori succumbat,

sed, etiamsi quid visum fuerit contemplatu difficile, id quod in se vim perspiciendi habet, aperit et rem accuratius introspicit, collustrans omnia, ne quid se nolentem et invitum fallere possit, conniventem incuria; et sic vere robustus est, acer et alacer, nec ulla vi flectendus frangendusve discendi amor, qui in viro ad perfectionem tendenti, qualis est verus philosophus, exsistat necesse est.

Quod si quis autem illustre exemplum divinae huius discendi cupiditatis quaerit, prodeat in medium verus ille amator Socrates, qui ratiocinando veritatis naturam semper tam contento gradu venabatur, ut non raro, quocunque esset in loco, secedere et rigido ac propositi tenaci statu stare soleret. Sic, uti narrat Plato in Convivio (cf. p. 175, B.), Socrates in ipso itinere ad Agathonem, a quo vocatus erat, constitit, ita defixus in studio sapientiae quaerendae, tantaque, dum huic studio intentus erat, voluptate perfusus, ut eum, tanquam extra se positum, prae ea, quam mente capiebat, oblectatione Agathonis epularum caperet oblivio. Quid? quod Alcibiades, cuius oratione Plato iis quidem, qui tritas eiusmodi rebus percipiendis aures habent, significavit, Socratem vivum et spirans exemplar veri et perfecti amatoris philosophi, et talis quidem fuisse, qualem hac fabula divinitus informavit, — Alcibiades igitur in sua Socratis laudatione inter alia exempla, quibus Socratis virtutem illustret, hoc profert, ut virtus viri appareat rigidi et propositi tenacis, quem, prorsus infixum in amorum suorum divinitate, *nihil*, ut ille ait, *mente quatiat solida:* narrat, eum aliquando, militantem in exercitu apud Potidaeam, saevissima hiemis tempestate totam noctem constitisse pertinaci statu, immobilem, iisdem in vestigiis et ore atque oculis eundem in modum directis, sectantem aliquid cogitatione, tanquam quodam secessu mentis atque animi facto a corpore; neque prius a quaerendo destitisse deque loco discessisse, quam, quae desideraverit, repererit.

Usque adeo cunctos requierat pectore sensus,
Ipse autem, membris et inani parte relicta,
Corporis, ignarusque sui, super ardua tecta
Coelicolum errabat, celsoque instabat amori,
Devius et pulcri divino percitus igni!

Num te amplius latet δαιμόνιος amoris vis, qui cum humanis divina, divina cum humanis conjungit? Etenim, quemadmodum radii solis contingunt quidem terram, sed ibi sunt, unde mittuntur: sic divinus philosophus conversatur quidem in terris nobiscum, sed, elatus mente sacra et erectus ad aeternas in coelestibus oris vigentes bonitatis, pulcritudinis ac sapientiae formas, origini suae haeret. Illinc, unde descendit, pendet: illic maiore sui et meliore parte viget: illuc spectat ac nititur: nostris tanquam melior interest: atque in hoc demissus est, ut propius divina nossemus, et ut, quoad eius fieri possit, humanis divina copulando mortalitatem nostram, quantum illius inopia patitur, divinae naturae beatitati colligatione arctissima devinceret.

Jam quot bona et pulcra adumbrata, fallacia et vana vulgus sectatur, id est eorum turba hominum, qui paupercula et inope non fortunae sed animi conditione vivunt, quorumque animae, ut ait ille, *curvae in terras et coelestium inanes* sunt, totidem vera, gravia, solidaque et cum aeternitate conjuncta ii omnibus opibus venantur, quorum mens occupata est in divinarum rerum commentatione, quorumque in visceribus ac medullis desiderium haeret aeternae illius, quam sapientia et virtus habent, pulcritudinis, quae quidem, si cerneretur, mirabiles sui, ut dicit Plato, amores excitatura esset, nunc autem non corporeis, sub quos illa nunquam cadit, sed iis, qui, si nulla cupiditatum et ignaviae nubes opposita sit, multo perspicacius et acutius cernunt, mentis nimirum oculis conspicitur.

Primum igitur de divitiis philosophi videamus, cuius perpetua curarum varietas ad mentis egestatem et inopiam pertinet, quemque perpetua aeternarum sapientiae et virtutis opum sitis adurit. Sed nonne hic solus dives putandus est, qui solus se ipsum, imo Deum, immensum illud bonorum pelagus, habet, et qui regnum proprium quoddam et domesticum possidet, quod nihil non solidum suppeditat multoque est splendidius eo, quod in media copia esurit. Audi, quanam in re germanus ille amator Socrates, qui vitam in summa paupertate degit, divitias suas posuerit, quibusque bonis pectus onerandum et complendum esse putaverit! Haec ille apud Platonem in Phaedro (v. p. 279, B, C.) a Fauno deo solita lepidissima illa usus dissimulatione precatur:

«Amice Pan et vos alii, qui hunc locum colitis, dii, date, ut intus pulcer efficiar, et, quaecunque extrinsecus habeo, intimis ut fiant amica. Divitem autem sapientem solum existimem: tantum vero mihi sit auri, quantum nec portare nec trahere queat alius, quam vir frugi.» Eiusdem Socratis haec est vox divina quaedam: «Divorum est, nullius unquam rei inopia laborare, hominum, qui ad eos accedunt proxime, paucissimorum.» Atque ut agnoscas, quantum divina bona, quae ex ipsius divinitatis opibus aeternis hausta sunt et delibata, ab iis differant bonis (si modo bona dicenda sunt, quae ipso bono aliena sunt), quae mortalis inopia suppeditat: qui divitias possidet, si cui vult benefacere, non potest,, nisi de suo demat, ita ut minores restent reliquiae ac, si perpetuo hanc exercere velit beneficientiam, brevi ipse inops factus suppeditationem desideret; sed facultas divinae et in aeternum vigentis sapientiae usu nunquam consumitur, imo plurimum augetur. Etenim, ut opes ex metallis, lapicidinis, ac duris laboribus acquirimus, sic divinae sapientiae copia ex ea natura hauritur, cui, quantumvis suis bonis mortales impertiat, ideo tamen nihil perit: atque ita sola ista possessio divinae aeternaeque naturae in terris particeps est. — Veram item potentiam et verum regnum philosophus tum se habere existimat, quum affectus in potestate habet et barbararum cupidinum gentes rationis frenat imperio, et sic animum virtutum communit praesidiis, ut nullis possit fortunae telis debellari. — Libertatem vero ut sectatur philosophus! Qui perpetuo secundum eam suae naturae vim vivit, quae sola in homine naturae fortunaeque non subjecta est, sed semper ex illa foras eminet et emergit, liberaque in coelestem illam interminatamque in omnes partes bonitatis, pulcritudinis ac sapientiae regionem se injiciens et intendens ita late longeque peregrinatur, ut nullam tamen oram ultimi, nullam extremitatem videat, in qua possit insistere. — Vera, quam venatur philosophus, gloria re ipsa nititur, non pendet ex vulgi et imperitae multitudinis opinionibus. Ad eam recta et compendio contendit, qui talis esse studeat, qualis haberi vult. Et quoniam eam, quam homines vanis ex rebus venantur, gloriam et temporum et locorum angustiis definitam esse et fatali quodam interitu evanescere videt, operam dat, ut colenda disseminandaque virtute

ac sapientia Deo se gratum et carum efficiat, ex qua una re verus honos et sempiterna solidaque claritas efflorescit, quam nulla unquam obscuratura est oblivio. — Veram nobilitatem non putat, summo inter homines natum esse loco. Sed si magna animi contentione mentis defenderit dignitatem solliciteque caverit, ne degenere rerum humanarum amore claritati coelestis originis obscuritatem aliquam offundat, metueritque, ne nativae nobilitatis flos vitii et turpidinis marcore deflorescat, tum demum vere et serio nobilem se futurum confidit. — Jam vero robur in quonam esse maius et solidius esse potest, quam in strenuo et pervicaci amore philosophi, si quidem robur est mentis magnitudo, quae nil unquam esse putat, quod, ut honestate et pulcritudine potiatur, non parata sit et perferre et perpeti, quaeque nil praeter turpitudinem extimescit. Magni enim roboris et generosae mentis est, luctantem cum fortuna non succumbere, ac non modo non timide sed etiam cupide, cum res postulat, periculis se offerre, neque mortis metu ullas defugere difficultates, quae sint cum honestate conjunctae. Et quum in periculis adeundis quidam amores suos ob oculos habeant, alii gloriam, alii aliud, sed omnes tamen horum quiddam, quumque huiusmodi deliciarum cogitatione sustententur et fortes sint, quanto, inquam, fortius et contentius rigidus virtutis amator, dum acri et contenta mente ipsam honestatis formam, qua nil venustius, nil amabilius esse potest, considerat et cogitat, periculo ipsique morti, cum res postulat, se objiciet: «An vero, ut ipsius Platonis verbis (v. Phaed. p. 68, A.) utamur, mortalium deliciarum et uxorum liberorumque vita functorum gratia multi mortem ultro oppetierunt, spe nimirum ducti, fore, ut ibi, quae dilexerant, viderent iisque potirentur: is vero, qui sapientiae amore vere incensus est, eamque spem certam vehementemque concepit, non alibi quam in morte se, sapientiae inopia plane liberatum, divina sua delicia plane amplexaturum esse, indignabitur moriens, nec avide illo contendet?» — Veram sanitatem philosophus appetit illabefactatam salutarem animi constitutionem, quam tunc adesse intelligit, quum sensus et appetitus non discrepant a ratione, quum mens Deum sequitur et imitatur, affectus menti obediunt, sic ut nulla sit in iis quasi praeceps festinatio, quae rationis judicium non exspectet, neque tarditas, aut mora, quum

imperata sunt faciunda. Quae quidem obedientia illum virium concentum consensumque conficit, quem sanitatem vocamus, et in quo quasi imago quaedam illius, quae in mente insidet, pulcritudinis et venustatis apparet atque elucet. — Formositatem vero et pulcritudinem et, quae ex eius possessione redundat, voluptatem quomodo philosophus exoptet et venetur, vel me tacente, ex iis, quae jam sunt dicta, quisque poterit intelligere. Placet tamen hunc locum, novis quibusdam adjunctis, diligentius persequi secundum Platonis doctrinam, e cuius quasi quodam sancto augustoque fonte nostra fere omnis manat oratio.

Ac primum quidem philosophus non delata, peregrina et mercata corporis, sed animi et mentis pulcritudine oblectatur, quam Socratem a diis precantem meministi. Animi autem et mentis pulcritudinem sanctitate, virtutis matre, temperantia et reliquis harum sororibus virtutibus, imprimis autem sapientia confici putat: et ad hoc summa vigilantia incumbit, ut virtutis et sapientiae speciem inspiciendi non strictim et quasi per transennam, sed coram et proxime sibi fiat potestas. Habet autem illa, mentis admota aciei, immensitatem quandam dignitatis et nitoris, atque tantum abest, ut corporis sordibus et labe unquam obsolescat, ut, quo propius amator steterit, quo melius eam adspexerit, hoc eluceat et splendeat amabilius, hoc flagrantius et acrius sui incutiat desiderium. Qua quidem ex parte magi nomen etiam cum ipso illo, quo amor ornatur, philosophi nomine concinere videtur. Etenim ubi semel amor sapientiae et virtutis hominem ad ossa tetigit facibusque suis animi medullam perussit, magica vi quadam delinita omnis voluntas ad quamvis solidam pulcritudinis speciem rapitur et trahitur. Semper enim virtutis species radiis quibusdam mentis lumina ferit, animumque, ab omni alia cogitatione omnique ab alio studio aversum, non modo non quiescere unquam sinit, sed, quo pertinacior indies et pervicacior fit persuasio de sapientiae et virtutis pulcritudine, hoc contentius, vehementius et efficacius in eo excitat studium tota vita exprimendi illarum praestantiam, exemploque et oratione homines ad eam adhortandi, denique intentam illam indubitatamque veritatis et virtutis fidem ingenerat, cui quid tam est difficile, quod non perfacile supe-

ret sibique subjiciat? — Jam vero quid divinius, quid pulcrius illo studio fingi potest, cuius sanctissima voluptate aucupanda virtutis et sapientiae amator efficit, ut praeclara illa virtutis ac sapientiae semina, quae diligenter subacto ac praeparato animo coluit, aluit, fovit, efferant tandem sese et fructus humanitati afferant.

Ergo philosophi amor a vulgi amore totus diversus est: nam quum amor vulgo libidinis nomen sit, quod in mediis sine certa sede fluctuat voluptatibus, quumque fons eius et origo flos corporis esse soleat, qui sub oculos cadit, per oculos in animam influit, (prima enim via, qua pulcritudo se insinuat, sunt oculi), philosophi amor diligentia studioque venandi similis est caeterorum amori, libidine plane differt: si voluptatem spectes, purior: si virtutem, omnino non comparandus: cuius fons et origo est pulcritudo animi, quae e corpore elucet. Est autem non raro futurae flos virtutis pulcritudo corporis, speciesque illa divina, quae in superficie corporis splendet, signum et vestigium quoddam referre solet speciosae, qua animus splendet, formae.

Venantur igitur philosophi et speculantur divini et sola mente cernendi pulcri pulcra specula mortalia et motibus obnoxia, quae in figuris et formis coloribusque juvenum exhibentur; et sicubi splendidam atque divinam in juvene conspexerunt formam, gaudent, rati, se invenisse dignos, quos haeredes faciant animi opum, quosque, sermonum rivulis per aures in animos transfundendis, in scientiae societatem adsciscant: itaque parvo temporis spatio intus feruntur et, neglecto formoso corpore, pulcros in actionibus et sermonibus contuentur et examinant, si qua honesti species et simulacrum in eorum animis vigeat: qua re ubi eos inopes esse cognoverunt, cum dolore valere iis jussis, impigrorum instar venatorum alio se conferunt, ut, odorandis et indagandis pulcritudinis in corpore vestigiis, animi pulcritudinem quasi praedam venentur, haud aliter, ac apes, quae multa, quantumvis sint virida ac fragrantia odoribus, praetereunt tamen et contemnunt, quod iis nihil mellis inesse vident. Quando autem generosi pulcritudinis amatores philosophi in forma honesta et corpore puro indolem castam et modestam elucere vident, animumque reperiunt erectum et divinum, qui impressum tenet vestigium pulcri illius,

quod illic jam cognoverant sine corporis tegumento nudum; prae voluptate et admiratione extra se rapti, pulcrum adsectantur suntque mirifico eius percussi amore. Reflectuntur enim memoria ab iis, quae in promptu sunt et foris apparent quaeque nomine sunt pulcra, ad divinam illam, amabilem, beatam atque admirandam verae pulcritudinis naturam: vident in amici animo, tanquam in speculo, speciem aliquam suae naturae relucentem, eaque delectati, perdite eius mentem amant, eumque tanquam alterum exemplar sui intuentes, excolere atque erudire gestiunt. Tum igitur quasi liberiores facti et sibi redditi, naturae obsequuntur suae, sui illos cognitione et copia impertiunt, clausum adhuc pectus recludunt, et divinas, pulcras, bonas cogitationes virtutis rerumque divinarum, mente informatas et conditas, aperiunt. Mox autem, procreandae et propagandae virtutis divino amore ducti, hunc amorem non ad unum vere pulcrum adstringunt germani amatores, sed cum maiori jam concilio tribuunt: neque tantum ad eos, quos, odorandis in corporibus pulcritudinis vestigiis, mente pulcros esse cognoverunt, sed ad omnes omnino, in quibus virtutis indolem et animum paullo erectiorem veraeque pulcritudinis avidum et capacem deprehenderunt.

Etenim invidia, ut ait Plato, divino choro exclusa est et ab eo segregata: sapientiae autem amor, res divinissima et maxime salutaris et vero beneficentissima, candidos animos nunquam non ad se admittit, sed patens semper optimo cuique maxime, salubrium et pulcrorum sermonum ac sententiarum sitientes semper excipit, quos pura et coelesti doctrina irriget; et sic philosophus, dum ipse sua et domestica mentis bona propagat et augere studet, veris bonis inopes impertit. Nam quod vere bonum est, neque in re ulla externa, neque in iis, quae corporis sunt, neque denique in alia quaquam animi parte, quam in sola illa, quae princeps ac praecipua divinaque est, inesse unquam potest: mens sola divini et summi boni capax et avida est.

*) Universam istam amandi rationem, qua Plato in Convivio Socratem a Diotima eruditum finxit, idem Alcibiadis in oratione Socratis exemplo divinitus illustravit et πρακτικῶς expressam docuit. Conf. cum Diotimae oratione p. 209, A. sqq. Alcibiadis laudationem p. 215, C. sqq. et vid. Baur: *Socrates und Christus*, p. 102, sqq.

Atque hoc ipso, quod descripsimus, divinorum amatorum studio animos eorum pulcrum pulcris in animis parere conari, divinitus Plato docuit. Hoc autem studio, hoc partu procreatum atque propagatum est, quicquid in terris viget verae religionis, verae artis, verae sapientiae et scientiae, verae legislationis, atque humanitatis; denique quicquid verae bonitatis, veraeque pulcritudinis humanam vitam, quantum id quidem mortalis eius inopia ac deformitas patitur, sublevat atque exornat, id omne eadem partum est via ac ratione.*)

Est igitur profecto eorum bonorum ét pulcrorum, quae divinus et philosophus amor venatur, haec summa, hic finis: pulcri partus, quem Plato dicit, in pulcro, qui solus veram et solidam immortalitatem machinari potest, quoniam huic partui non mortalis corporis, sed immortalis animi pulcritudo obstetrix et conservatrix exsistit. Est autem pulcritudo obstetrix et conservatrix omnis partus, et eius, qui corpore, et eius, qui animo perficitur. Sed dum pulcritudo corporis, et quos illa elicuit liberos, temporis spatio corrumpuntur et in mortalis inopiae naturam sponte recidunt et effluunt, sapientes orationes cum tempore crescunt, neque earum pulcerrimae quaeque ulla re magis, quam tempore patefiunt et ostenduntur. Quid? quod non modo temporis progressu, sed, quod maius est, statim homines capiunt atque solae pulcritudinis palmam obtinent.

Quae de Amoris indole bona Platonis fabula narrat, ea,

*) Non possum, quin hoc loco sensus effundam eos, quos in me sublimitas eorum excitat, quae Plato Symp. p. 209. A. sqq. de hac tam salutari amandi ratione Socratem Diotimae ore docentem fecit. — Praeclare, inquam, o Socrates, hanc tu amandi artem exercitasti: tu enim ea gradiens via, quam a Diotima tibi ostensam Plato finxit, immortale ingenium tuum reddidisti: vivit enim ingenium tuum vivetque per omnium seculorum memoriam, perpetuo eorum foecundans animos qui humanitatis tuae et sapientiae capaces atque avidi erunt. Tu vero, divine Plato, tu divinos Socratis sermones, tuos factos, immortalitati scriptis tuis tradidisti: tu Socratici ingenii magnitudinem tua memoria tuisque consecrasti liberis: in te non minus quam in Socrate eventum habuerunt, quae de tui dicam, an Socratici ingenii liberis vaticinando a te divina ista oratione pronunciata fuere!

simul complexi, quae de divinis Amoris muneribus dicuntur, maximam partem nunc explicuimus et enodavimus, certe explicare et enodare conati sumus. Restat, ut dicamus de pauculis istis sed gravissimis verbis: «Neque omnino immortalis est Amoris natura, neque mortalis, sed tum quidem eodem die viget ac vivit, quoties rerum affluentiam habet, tum emoritur, rursumque propter patris naturam reviviscit. Quod vero assecutus est, dilapsum semper defluit: ac proinde neque mendicus unquam est Amor, neque dives.» Quibus quidem verbis quae de Amoris conditione ac sorte dicuntur, quid sibi velint, ex parte supra jam vidimus, ubi de Amoris indole prava disseruimus; eorumque vim illa nostra disputatione minime neglectam fuisse, ipsi significavimus pag. 95. Sed eorundem quae vis sit, bonam sive philosophi indolem Amoris si respicias, nunc nobis dicendum restat.

Nihil omnino est, quod in hac vita candidam atque erectam mentem magis delectare possit, quam contemplatio perfectae illius et omnibus virtutis copiis plenae divinitatis, omniumque rerum singularum, quae cum ea conjunctae sunt eaque continentur. Quae enim, quaeso, non dico solidior, sed praeter hanc solida voluptas omnino percipi potest? Quid ita? Nempe quod is demum motus efficit voluptatem, qui perducit id, quod movetur, ad statum ipsius naturae congruentem et consentaneum. Itaque corpora, cum exinanita sunt, perceptione cibi ac potione laetantur: et in mentis natura idem usu venit. Quid est autem, quod ipsa natura duce desideret mens, ad quod perpetuo rapiatur, cuius perpetua quasi fame sitique teneatur? Sapientia nimirum et bonitas, conjunctaque cum hac pulcritudo: hic menti cibus, hic pastus proprius ac naturalis: eo alitur ac reficitur, eo lacte viget ac vivit.

Itaque quoties candidus philosophus supera atque coelestia cogitat, quoties, divinitatis et sanctimoniae sensu perfusus, purior leviorque in veritatis oras sublimis evolare sibi videtur, quoties veri boni et pulcri semina et in se et in aliis alit atque fovet, quoties vel in semet ipso vel in alio contuetur aliquod virtutis lumen, veluti mentis amplitudinem et justum morem puramque temperantiam, praeterea fortitudinem generoso vultu verecundam, candorem denique honestatemque venerabilem,

habitu intrepido, tranquillo et sereno incedentem: quoties denique philosophus nova particula desiderati divini patrimonii perfruitur; toties veluti solutus mortalis inopiae vinculis et tanquam transsiliens mortalitatem suam, extra caetera omnia ponitur, intraque se receptus, aeternitatis quodam vigore ac vita perfruitur, toties confidit, sortis se esse divinae, quippe cum vitam tunc optimam ac beatam agit, inque idem cum divinitate conspirans, ad illam pervenit actionem, per quam se ipsum, omni mortalitatis inopia et miseria exuta, in ipsam divinitatis voluptatem aeternam receptum videt.

At vero cum interdum in media hac divinitatis et beatitatis abundantia se ipso imbecilliorem sese fieri philosophus sentiat (si quidem conjunctus affluentiae illius sensui ardor et impetus veriorum semper magisque bonorum et pulcrorum ipsis illis, quae adsunt, desiderium incutit), tum saepenumero illud accidit, ut mortalis ac deterioris naturae inopia et languore immortalis liberaeque partis vigor ac vita rursus restinguatur. Quod ubi sentit amor philosophus, ut moritur curis et perditus fere contabescit, illoque flore quasi prioris ubertatis tanquam siti exusto, exarescit! Ut, oppressus inopiae conscientia, turpis et malus et omnino egenus sibi videtur! Ut sibi displicet, qui illam divinitatis praestantiam, quam et cognoscendam et imitandam sibi proposuerit, tam parum adhuc assecutus sit!

Quod autem dico mortalis et deterioris naturae inopia et languore immortalis et liberae partis vigorem ac vitam impediri: haec est huius sententiae ratio. Quum ea pars, quae mentis et consilii est et qua amoris virtus cernitur, a qualibet praestantium et bonarum rerum meditatione magis semper vegeta exsurgat, et hoc quasi nutrimento quodam fomentoque augeatur et crescat, necesse est, si qua contingat cogitationum tum comparatarum debilitatio, tum comparandarum inopia; necesse igitur est haec sapientiae impedimenta sensuum et corporis inopia effici: si quidem quo quid a corporis natura longius abscesserit, hoc minus illi est periculi ab eis affectionibus, quae corruptionem atque interitum afferunt, hoc propius ad vigoris infinitatem accedit. Ex quo certo consequitur, omnem dignitatem, libertatem, omnes veras opes hominis esse ex mente ac-

terna, omnem contra servitutem, abjectionem, omnemque sapientiae inopiam ex mortali corpore.

Mox autem huic philosophi amoris dolori cogitatio succedit: amarum quidem, rigidum et durum esse eum laborem, quo verum bonum ac pulcrum exsistat, et quo inopia sublevetur: itaque lente et placide agendum esse; et vero agnoscit philosophus, quantum laboris fugitet, tantum se propriis bonis excidere, contra, si rigidus et propositi tenax pertulerit ea, quorum perpessio molesta sit, beatitatem se adipisci. Minime igitur mens, originem suam considerans, opinione laboris a perdite amanda sapientia et virtute deterreri se patitur, sed reviviscens, iterumque correpta salutari fervore, fertur et rapitur ad ea, quae bona atque pulcra esse vidit, iisque potiri novo studio conatur. Sic igitur Amor, quem jam languere putares, expletus iterum suo cibo et saturatus corroboratur; haud aliter ac

Solet a ventis alimenta resumere, quaeque
Parva sub inducta latuit scintilla favilla,
Crescere et in veteres agitata resurgere vires.

Sic ipse ille dolor et ipsa illa amoris desperatio semper solidum gaudium et victoriam ac salutem affert: nihil enim huiusmodi dolore vel miseria ad investigandum sui remedium pervicacius est aut sagacius. Atque ista vicissitudine miseriae et beatitatis, inopiae et affluentiae, magis quidem minusve, at repetitis tamen temporibus semper redeunte, tota amoris philosophi vita continetur.

Nimirum philosophus discendi amor si statim a primo initio ea, quae sunt perfecta, sibi proponere posset, ad ea tentanda esset cunctantior. Nunc a perfecta suarum, quas desiderat, opum possessione et cognitione tantum inops est, quantum infantulus in studiorum initio ab eius copiis, qui et aetate et arte magister illius est. Itaque primum iis, quae captu faciliora sunt, amor se affuefacit, deinde vero ea, quae sequuntur, discit. Atque hac ipsa ratione continetur amoris philosophi natura, qui et ipse neque dives unquam, neque plane mendicus est, et cui, quod comparavit, dilapsum semper effluit. Sed quas, duce et auspice amore sophista, comparari vidimus opes, eae revera umbrae divitiarum, et, si nos ipsos audire volumus, nullae omnino sunt divitiae. Atque sicut ipsae illae opes iis quidem, qui deor-

sum inclinantur, inopiae absolutae velamentum sunt, ita, quam in eorum quoque, qui eiusmodi opibus circumfluunt, conscientiam penuriae et indigentiae esse vidimus, prorsus absoluta est. In amore autem rei aeternae, qualis est veri philosophi amor, nulla absoluta, omnis relata penuria est. Nam qui semel ad solidam illam et immortalem possessionem virtutis cum sapientia conjunctae recto itinere contendere penitus imbiberunt, fugaque et profectu illo, qui ad divina evehit, perpetuo mente crescunt, hi ad ea, quae a fronte sunt contendentes, contemnunt, quae a tergo sunt, effluere sinunt. Hoc nimirum verum est incrementum, ut divinas contemplationes cogitationesque mente suscipias: ut ad id, quod in istis rebus amplioris est fructus, semper contendas: ut eorum, quae supra et extra te vere vivunt et vigent, perenni cupiditate captus sit, qua id, quod accessit, retro semper dimittas, quod vero abest, ut quod desideretur, omnibus opibus veneris. Tanta est autem amoris in eo aviditas et fortitudo, qui bene illum habet, bonumque suum ad summi boni aeternum exemplar admovere studet, ut nunquam subsistat et abscedat, quum aliquantum auctus est, sed ut, inexplebili cupiditate raptus, forti et strenuo pede procedat, semper ad cognitionem et participationem summae, quam divinitas habet, virtutis evadens. Necesse autem est, quod praestantius est, id etiam essentiae ratione prius esse deterioribus. Itaque amor, qui ad principia adscendit, perpetuo quaerit, possitne aliquid eo, quod statuit, principio praestantius esse. Quod si repertum est, rursus in illo ulterius quidpiam quaerit, donec ad supremas cogitationes magnificentissimosque animi sensus pervenerit, quibus nil restet excellentius; neque prius ab ascensu desistit. Qua quidem ratione illa una omnium optima ad divinam pulcritudinem contentio continetur, ut, cum eorum bonorum pulcrorumque, quae cogitatio complectitur, augustissima quaeque atque sanctissima divinitati consecraveris in eamque congesseris, tamen illud maxime persuasum habeas, nil te illi satis dignum tribuisse, neque eam tum cognoscendo tum imitando satis assecutum esse, itaque semper ad sequentes gradus progrediaris, donec tandem ad fastigium humanae naturae haud impar evadas.

Atque hac ipsa innatae indigentiae necessitate, qua amor, effluentibus ei semper, quae comparaverat, neque dives unquam neque mendicus est, hac, inquam, amoris natura vis ac ratio continetur mirificae illius ac prorsus divinae orationis, qua Plato a Diotima Socratem doceri finxit, quomodo homo, amore duce et auspice, in pristinae patriae coelestes oras restitui, et ad contemplationem immensae et interminatae divinae pulcritudinis, bonitatis ac sapientiae evadere vel in terris possit.

Nimirum ea est animi inopia, ut, quum olim quidem ipsam illam ineffabilem pulcritudinem, in quam oculorum contemplatio non cadit, contuitus sit, nunc, et loco et conditione ab origine remotus atque habitans in mortalis huius loci corporisque inopia ac deformitate, verae pulcritudinis contemplationi nudae intentus esse nequeat, neque omnino aliter postliminio redire possit, quam si, accurati et periti instar venatoris, omnibus vestigiis tum in corporibus tum in animis odoretur et indaget signa ac vestigia eius pulcritudinis, cuius speciem memore mente adumbratam gerit, quo contemplanda pulcritudine hominis viva ac spirante menteque ornata memoriam resuscitet, et ex illa, quae in promptu est, longe veriorem amare discat venustatem, divinam videlicet divinae mentis pulcritudinem. Itaque quum philosophus, nihil omittens, quod ullius pretii est, aliud ex alio indaget, et a praesenti ad id, quod futurum est, a minoribus et deterioribus ad majora et meliora pervadat, dediscit tandem, per cognatas corporibus pulcritudines manuductus, divinum exemplar in simulacris inque alienis discere, et jamjam ipsius mentis puram putamque pulcritudinem contenta mente considerat.

Nam quum corporum quidem pulcritudo, dum corpus, quantum id fieri potest, exornat, deformitatem eius recipiat eaque impleatur et polluatur, animi autem pulcritudo, sicubi adest, his soluta omnibus, quum non jam coeca imago sit pulcritudinis, sed ipsius pulcritudinis similitudinem vivam referat, puramque pulcritudinis naturam habeat, non partim quidem pulcram, partim vero non pulcram, sed totam et penitus pulcram: porro quum cuiusvis formae, quae in corporibus inque rebus corporeis inest, primarium sit principium animus, animi autem principium quum mens sit, cuius species et formae

solae sunt purae et sincerae; idcirco amor philosophus considerandis iis, quibus corporis pulcritudo continetur, hanc, cum altera illa collatam, admirari dediscit, nec non idem ad fontem pulcritudinis, quae in animis viget, adscendere.

Sic igitur philosophus amor, quoniam qui non respicit ad opera et effectus, ad eam, quae sola mente comparari potest, intelligentiam nunquam deducitur, considerandis causae actionibus, causaque interim ex effectibus cognoscenda tandem eo pervenit, ut aucta jam et corroborata mente ad ipsam integram et nudam divinitatem accedat atque videat, quaenam sit illa causa, a qua pendet et qua continetur omnis in terris pulcritudinis natura. Quamdiu enim aliquis pulcritudinem contemplatur, quae elucet in singulis, sive illa visu maxime consideratur sive mentis acie, tamdiu pulcritudinis eius, quam natura habet, speculator ac venator est. Sed cum quispiam ista nostra et humana transgressus divinitatem ipsam est assecutus, cumque cognovit, qua ratione singula sint pulcra, idemque cum ex varia horum pulcritudine se erexit ad unum illud, quod vere pulcrum, bonum, perfectum est ac beatum; tum, inquam, ad ea progressus, quae omnem naturalem rationem fugiunt, ipsis divinis et aeternis amoribus suis ac deliciis, ut mortalis, potitur, vitamque tum demum vitalem vivit, Deoque gratus et immortalis evadit, quod Socrates extrema oratione sua docet.

Etenim, quum divinitas sola ipsa veritas sit, solaque et vivat et vigeat, quicunque Dei, qui est, cognitione privati sunt, propter suam ad simulacra et umbras inclinationem haerent et habitant in natura a divinitate inope, et jure, opinor, ob veritatis et vitae inopiam vitam non vitalem vivere dicuntur. Vera autem vita, vel potius ea vita, quae mortalitati non immersa est, sola est beatitas. Solus igitur divinus et philosophus amor beatitatis possessionem homini comparat. — Jam Deo grati quinam tandem alii existimandi sunt praeter illos, qui aliud nihil curant, nisi, ut et mentem intendant ac defigant in divinitatis naturam, et, aeternam verae virtutis ac pulcritudinis speciem in ipsorum mente insidentem intuentes inque eaque defixi, ad illius similitudinem cum suam, tum caeterorum vitam hominum dirigere studeant, quique hac ratione procurant hominum salutem easque actiones suscipiunt, ex quibus quam maximus omnis hu-

manitatis fructus ad quam plurimos perveniat? Ad immortalitatem denique et aeternitatem solus in terris amor philosophus evadit, quod non spectat humana, quum humanae conditioni subjectus, nec mortalia, quum mortali inopiae obnoxius sit, sed, quoad potest, ad immortalia nititur, omniaque perficit, ut vitam ex eo degat, quo nihil est praestantius et divinius, — ex virtute divina. Illa autem — — *recludens inmeritis mori*

Coelum, negata tentat iter via:
Coetusque volgaris et udam
Spernit humum fugiente penna.

Atque hoc loco nos, priusquam istam de amoris divini muneribus quaestionem, reapse conjunctam cum tota fabulae nostrae explanatione concludimus, lectores rogatos volumus, ut, quae *Plato* in Convivio *Socratem* ex ore Diotimae extrema oratione de mortalitate immortali, deque salutari vi et efficacia divini amoris divinitus praedicantem fecit, ea igitur ut quam diligentissime conferant cum iis *Christi* effatis, quibus ille apud *Joannem Evangelistam* se, vel potius divinum, quo tota eius continebatur, spiritum, veritatis et sanctitatis plenum, in suis rursus oriturum esse inque omnem aeternitatem perennem fore affirmat. Videbunt enim non sine honestissimo quodam gaudio, divinum illum inter Graecos theologum sua quidem ratione itidem vaticinatum esse de *Christo*, deque immortali eius et salutari in hominum pectoribus vita. Vaticinatus enim, si quid video, *Plato* censendus est de eo, qui unus omnium mortalium non assecutus solum est, sed longe etiam supervolavit augustissimam illam virtutis aeternae speciem, a divino *Platone* mente et cogitatione sancta informatam atque extrema *Socratis* oratione expressam, quique unus pulcerrima ista *Platonis* somnia de amore, omnis humanae beatitatis virtutisque et vitae immortalis auctore, non solida solum et vera esse ipse re ostendit, sed auctor et dux ipse universae humanitati exstitit ad eandem amandi viam capessendam, qua ipse gradiens mortalitate se exemit inque omnem aeternitatem nostri generis *Servator* et *Recreator* factus est.

Sed nos tandem aliquando huic dissertationi finem imponamus, coronidisque instar ea verba adjungamus, quibus aliquando Muretus Platonis divinitatem ornavit auditoresque suos ad eius tum cognoscendae tum imitandae studium adhortatus est:

«O non loquendi tantum, sed et sentiendi ex illis veteribus, quos Deus vera sui cognitione afflaverat, unice magister Plato, quae unquam par dignitati, ac meritis erga omnem posteritatem tuis reperiri poterit oratio? Tu, quomodo animi nostri a vitiorum sordibus purgari possint, ostendisti; tu, quemadmodum hominibus adhuc in terra versantibus coelestem quodammodo vitam vivere liceat, aperuisti. Tu divina cum humanis, quantum quidem humano ingenio id perfici potuit, copulasti. Tu ea tradidisti, quae nos, nos inquam ipsi, qui a Deo per Filium adoptati et coelesti doctrina imbuti sumus, a te dici potuisse miramur. Sed Platonem laudare necesse non est: danda potius opera est, ut, quae ille divinitus scripsit, cognoscamus ac consequamur.»

SCHOLIA.

Pag. 2 supr. *cum ab aliis viris eruditis, tum imprimis a Schellingio*] Videatur haec Schellingii commentatio: Ueber Mythen, histor. Sagen und Philosopheme der alten Welt, in Pauli Memorr. Part. V, num. 1. Praeterea cf. Hasius: Evangel. Dogmatik, ed. 1, p. 508 sq., Ullmannus in: Theoll. Studd. und Kritiken 1836, p. 785 sq., Müllerus ibid. p. 839 seq. et quos iste p. 840 inf. atque Hasius l. c. laudarunt, quibus nunc addendus est Stuhrius: Die Religionsformen der heidn. Völker, T. 1. Praef. p. XLIX sq.

P. 2. inf. *Henkii et Hüttneri de eodem argumento disputat.*] « De fabulis Plat. egit etiam M. Marxius, nuper alumnus seminarii nostri, in Freiburger-Blætter vel Zeitschrift; neque enim libelli titulus nunc succurrit. » Haec Creuzerus ad nostrae disputationis exordium annotavit; illam Marxii scriptionem ego legendo nondum cognovi. Egregie nuper de fabulis Platonicis disputatum est a Bauro libro de Socrate et Christo, infra saepius laudato, et in: Theolog. Studd. und Kritiken, 1837, p. 546 — 558, p. 566, qui tamen Platonem populari religioni nimium adstrictum sibi finxit. Adde sis Tennem. Syst. de pl. Ph. 1, p. 141 sq.

P. 5 extr. *quod autem antiquos etc.*] Conf. Stallbaum. ad Timaei locum p. 175. Add. Sext. Empir. p. 555. ed. Fabric. cuius consulenda est annotatio; e Latinis addantur in eandem sententiam pronuntiantes Cicero de Leg. 2, 11, 27, ubi conf. interpp. in ed. Moser. p. 257 sq., Caecilius ap. Minuc. Fel. cap. 5 extr. Fuit omnino in eadem cum Graecis sententia tota antiquitas (conf. Baumgarten-Crus. Dogmengesch. p. 1086); neque vero inter recentiores desunt, qui hanc opinionem tueantur. Vide, quos laudavit Tholuck. in Neandri Memorabilib. T. 1, p. 233 sq. — Proclus Theol. Plat. 1, 5, p. 13. θεῶν παῖδας Timaei l. c. recte docuit intelligi caecos poetas theologos: neque erat, quod idem Philebi loco simillimo p. 16, D. in verbis οἱ μετὰ θεῶν οἰκοῦντες de Pythagoreis cogitaret; quo tamen longe absurdius illud, quod Galeo in mentem olim venit, Hebraeos utroque loco significari. Vide, qui istam opinionem amplexus est, Joann. Vanderwaeyenus: de Λόγῳ contra Clericum, p. 105 sq. De Timaei loco scite nuper disputavit Baurus: Socrates und Christus, p. 92 sq.

P. 8 med. *Palinodiae nomine*] Posterioris aetatis scriptores antiqui illam Socratis orationem interdum hoc nomine significarunt propter ipsius verba Socratis Phaedr. 243, B. πειράσομαι αὐτῷ ἀποδοῦναι τὴν παλινῳδίαν.

P. 8 inf. *mirae excitantur species fabulosae etc.*] Notanda h. l. est temeritas ista, qua Trautmannus disputatione De Fonte ac Fine Philos. Platonicae (Vratislav. 1833.) p. 14. cum omnes Platonis fabulas, tum hanc quoque fabulam non a Platone inventam, sed ex ipso oriente profectam statuere non dubitavit. Equidem, etsi minime nescio, illam fabulam haud uno nomine comparandam esse cum Indorum de animae natura μυθολογήμασι (vid. Windischm. Die Philos. im Fortgange der Weltgesch. I, 4, p. 1713 cum auctoris annott.), longissime tamen absum ab eorum ratiunculis, qui veritatis studio, humanae naturae insito, tantum tribuere non didicerunt, ut, cum homines rebus superis et coelestibus intentos eadem inventa proferre viderint, alterum ab altero sua mutuatum esse non desinant clamare. Tu vide Ast. Annott. in Plat. Phaedr. p. 390 supr.

P. 9 inf. *ex simillimo Phaedri loco*] Est profecto Diotimae verborum vis eadem, ac illorum, quae attulimus, de Phaedro p. 246, A. περὶ δὲ τῆς ἰδέας αὐτῆς — — — ταύτῃ οὖν λέγωμεν: et quum istis verbis, in capite fabulae philosophae itidem collocatis, causam atque vim fabulosi generis docendi Plato haud obscure declaraverit, eandem rem Diotimae verbis tecte saltem significavit. Nimirum Diotima, quum illa pronunciasset, μακρότερον μὲν διηγήσασθαι, addendis verbis ὅμως δέ σοι ἐρῶ illud significat: etsi ad id, quod Socrates quaesiverit, dialectica

et, ut cum Scholasticis loquar, discursiva ratione non sit responsura, quippe quae in argumenti divinam amplitudinem non cadat, illud tamen fabulosa oratione et ex fabulosis contexta similibus ita se complexuram, ut res eodem redeat, neque quicquam veritati fiat detrimenti. Et revera de fabula nostra imprimis valet, quod de tota Diotimae oratione Hermias Comm. in Phaedr. p. 158 docuit: λέγων (nim. Πλάτων) τὸν τῆς Διοτίμας περὶ τοῦ ἔρωτος λόγον διὰ λέξεων ὀλίγων, τῇ δυνάμει μέγιστον λόγον εἶπε.

P. 11 supr. *abstrusa illa — — — narratio*] Quae ista fabula de nostris in terra sedibus dicuntur, quorsum pertineant pulcre vidit Baurus (Sokrates und Christus, Tübing. 1837, p. 89). Eadem narratione quae de inferis, deque beatorum sedibus et conditione dicuntur, cum universa Phaedonis doctrina consentire idem V. D. ibid. p. 95. recte judicavit. Totam illam narrationem egregie in rem suam convertit Schubertus (Geschichte der Seele, p. 677 sqq. ed. 2.).

P. 11 med. *vel talia vel similia debere esse*] Ad haec verba respiciens Olympiodorus fabulae initio scite sic statuit (Cod. Monac. 426, fol. 91, a. εἰς τὸν μῦθον:) ὅτι τὸ τρίτον μέρος τοῦ διαλόγου (Phaedonis) ἔστι μὲν περὶ τῶν ψυχικῶν λήξεων. οὐ πᾶν δὲ μῦθός ἐστιν, ἀλλ' ὅσον συμπεραίνεται λέγων (nim. p. 114, D.), ὡς ταῦτα ἢ τοιαῦτα χρὴ τὰ ἐν ᾅδου ἡγεῖσθαι. τοῦτο γὰρ ἦν καὶ τὸ εἶδος τῶν πλατωνικῶν μύθων, ἅτε καλῶς τὴν ἀλήθειαν μιμουμένων, ὡς ἐν πολιτείᾳ φησίν.

P. 12 supr. *fabulam — verae rei narrationem*] In Graecis Gorg. l. c. μῦθον — λόγον, quorum vocabulorum, ubi opposita sunt, illa ipsa est potestas. Vid. Tennemann. Syst. d. pl. Phil. 1, p. 142. Wyttenbach. ad Plut. Mor. p. 374, E. ad Plat. Phaed. p. 61, B. annot. p. 128 ed. Batav., Orell. ad Sallust. de Diis, cap. 3, ann. p. 75. Stallbaum. ad Phaedon. et ad Gorg. l. c., Ast. Lex. Platon. vol. 2, p. 355 inf., Act. Soc. Graec. vol. 1, p. 525. Addantur Plutarch. Fragm. X, 7. ὁ μὲν οὖν μῦθος τοιοῦτος· ὁ δὲ λόγος τοιόςδε, i. e. atque sic se habet *fabula*: quae autem in eius involucro latet *veritas*, haec est: Proclus Comm. in Plat. Timae. L. 2, p. 92. τοῦτο γάρ ἐστιν ἡ εὕρεσις (nim. Dei), τὸ ἐντυχεῖν αὐτῷ, τὸ ἑνωθῆναι, τὸ μόνην (nim. τὴν ψυχήν) μόνῳ (nim. τῷ θεῷ) συγγενέσθαι, τὸ τῆς αὐτοφανείας τυχεῖν, ἀπὸ πάσης ἄλλης ἐνεργείας εἰς ἐκεῖνον ἁρπάσασαν ἑαυτήν, ὅτε καὶ τοὺς ἐπιστημονικοὺς λόγους μύθους ἡγήσεται, συνοῦσα τῷ πατρὶ καὶ συνεστιωμένη τὴν ἀλήθειαν: Plotinus p. 299, B. loco infra allato. Ceterum de Socratis verbis ap. Plat. Gorg. l. c. Olympiodorus scite his monuit verbis ex gallica interpretatione Cousini (Nouv. Fragm. Philos. p. 385 sq.): «Socrate, qui s'attache au fond des mythes sans s'arrêter à l'ex-

térieur, dit que, dans sa pensée, ce récit est vrai; mais que pour Calliclès ce n'est qu'une fable. »

P. 13 supr. *duplex rerum est genus etc. etc.*] In exponenda Platonis doctrina de ideis Mureti verbis uti eo minus dubitavimus, quod ipsi id argumentum melius enarrare non possumus. Vid. Muret. Oratt. ed. Thomas. vol. 2, p. 413 — 415. Eandem ob causam etiam in reliqua de platonicis principiis disputatione iis usi interdum sumus, quae idem vir facundissimus in Orationibus passim docuit ad rem nostram facientia.

P. 26 med. *phantasia, tanquam mentis interprete, uti coactus est*] De phantasiae in philosophia usu egregie nuper, Schellingio auctore, docuit Rosenkranzius (Psychologie p. 265 sq.).

P. 29 inf. *eum, qui vere λόγος esse debebat, nonnisi μύθου specie indutum in medium profert*] Plutarch. de Is. et Osir. cap. 20: *καθάπερ οἱ μαθηματικοὶ τὴν ἶριν ἔμφασιν εἶναι τοῦ ἡλίου λέγουσι ποικιλλομένην τῇ πρὸς τὸ νέφος ἀνακλάσει* (sic leg. cum Wyttenb.) *τῆς ὄψεως, οὕτως ὁ μῦθος — λόγου τινὸς ἔμφασίς ἐστιν ἀνακλῶντος ἐπ' ἄλλα* (fort. leg. *αὖλα*) *τὴν διάνοιαν.*

P. 30 supr. *ut deficiens ad fabulam confugiat*] Haec et quae cum istis congruentia disputamus, aliqua ex parte cum iis conveniunt, quae Hegelius docuit Opp. vol. 14, p. 188: « Viele Philosopheme sind durch die mythische Darstellung näher gebracht; das ist nicht die wahrhafte Weise der Darstellung. Die Philosopheme müssen, um rein zu sein, als solche vorgetragen werden. Der Mythos ist immer eine Darstellung, die sich sinnlicher Weise bedient, sinnliche Bilder hereinbringt, die für die Vorstellung zugerichtet sind, nicht für den Gedanken; *es ist eine Ohnmacht des Gedankens, der für sich noch nicht festzuhalten weiss, nicht auszukommen weiss.* Die mythische Darstellung, als älter, ist Darstellung, wo der Gedanke noch nicht frei ist: sie ist Verunreinigung des Gedankens durch sinnliche Gestalt; diese kann nicht ausdrücken, was der Gedanke will. » Cum extremis istis conf. nostra pag. 29 med. *quaecunque — — concepit, ea pura ipsa in lucem producere nequit, sed etc. etc.* Ceterum quomodo nostra ratio ab Hegeliana in isto, qui videtur, consensu tamen differat, vel sic jam satis patet et ex insequentibus eius verbis magis etiam perspicitur. Nam quod Hegelius paulo post addit: « Oft sagt Plato, *es sei schwer, sich über diesen Gegenstand auszulassen, er wolle daher Mythen aufstellen* »; leichter ist diess allerdings »: equidem lubenter fateor, Platonis modestiam in divina natura eiusque cum rebus inde profectis consensu intimo *μυθικῶς* declarandis mihi magis placere, quam arrogantiam eorum, qui, dum se eadem mysteria *διαλεκτικῶς* patefecisse gloriantur, *λόγους* proferunt, qui saepenumero nil sunt, nisi *μῦθοι* adulterini, neque ullo modo praestantiam *λόγων*, qui

platonicis *μύθοις* continentur, assequi censendi sunt. Sed ista quidem qui utuntur philosophandi ratione, si quando de Platonis fabulis judicium ferre conantur, sibi teneant dicta illa verba, quibus Plato in exordio praeclarae illius in Phaedro fabulae usus est (p. 245, C.): *ἡ δὲ δὴ ἀπόδειξις ἔσται δεινοῖς μὲν ἄπιστος, σοφοῖς δὲ πιστή.* Ceterum vide etiam Scholia ad pag. 34 med.

P. 30 supr. *tum quod infinitum est et immensum, eius quod finitum est — imagine exprimitur etc. etc.*] Egregie eandem in sententiam disputant recc. Platonici: Plotinus Enn. 5, lib. 6, cap. 9, p. 299, B sq. in nostrae fabulae explicatione: *δεῖ δὲ τοὺς μύθους, εἴπερ τοῦτο ἔσονται, καὶ μερίζειν χρόνοις ἃ λέγουσιν, καὶ διαιρεῖν ἀπ' ἀλλήλων πολλὰ τῶν ὄντων, ὁμοῦ μὲν ὄντα, τάξει δὲ ἢ δυνάμεσι διεστῶτα, ὅπου καὶ οἱ λόγοι καὶ γενέσεις τῶν ἀγεννήτων ποιοῦσι, καὶ τὰ ὁμοῦ ὄντα καὶ αὐτοὶ διαιροῦσι, καὶ διδάξαντες, ὡς δύνανται, τῷ νοήσαντι ἤδη συγχωροῦσι συναιρεῖν*: Id. Enn. 4, lib. 9, cap. 4, p. 475, A sq. *εἰ δὲ λέγει* (Plato in Timaeo) *σπεῖραι τὸν θεὸν αὐτὰς* (animas), *οὕτως ἀκουστέον, ὥσπερ ὅταν καὶ λέγοντα καὶ οἷον δημηγοροῦντα ποιῇ. ἃ γὰρ ἐν τῇ φύσει ἔστι τῶν ὅλων, ταῦτα καὶ ἡ ὑπόθεσις* (i. e. fabulosa disputationis ratio) *γεννᾷ τε καὶ ποιεῖ, εἰς δεῖξιν προάγουσα ἐφεξῆς τὰ ἀεὶ οὕτω γιγνόμενά τε καὶ ὄντα*: Proclus Theol. Plat. 6, 23, p. 407, ed. Port. *τῶν ἀγεννήτων γενέσεις, τῶν ἁπλῶν συνθέσεις καὶ τῶν ἀμερίστων διανομὰς οἱ μῦθοι παρεισκυκλοῦντες, ὑπὸ πολλοῖς παραπετάσμασιν ἐπισκιάζουσι τὴν τῶν πραγμάτων ἀλήθειαν*: Id. Comment. in Plat. Rempubl. p. 370, ed. Basil. et Theol. Plat. 1, 28, p. 67 sq. ubi locus primarius de generationibus *μυθικαῖς*: *εἴ τινες γενέσεις ἐπὶ θεῶν μυθικοῖς πλάσμασιν ὑπὸ τοῦ Πλάτωνος λέγοιντο, καθάπερ ἐν τῷ μύθῳ τῆς Διοτίμας ἡ τῆς Ἀφροδίτης γένεσις ὕμνηται καὶ τοῦ Ἔρωτος ἐν γενεθλίοις Ἀφροδίτης ἀπογεννωμένου, δεῖ μὴ λανθάνειν, ὅπως τὰ τοιαῦτα λέγεται, καὶ ὡς ἐνδείξεως ἕνεκα συμβολικῆς* (cf. Plot. p. 475, A. *εἰς δεῖξιν κτλ.*) *ταῦτα σύγκειται, καὶ διότι τὴν διὰ τῶν αἰτιῶν ἄῤῥητον ἔκφανσιν ἐπικρυπτόμενοι, γένεσιν οἱ μῦθοι καλοῦσι. — Πλάτωνι δὲ ἄρα μυθολογοῦντι τὰ τοιαῦτα πλάττειν ἑπομένως τοῖς θεολόγοις ἥρμοζε, διαλεκτικευομένῳ δὲ καὶ νοερῶς, ἀλλ' οὐ μυστικῶς τὰ θεῖα ζητοῦντι καὶ ἀφηγουμένῳ, τὸ ἀγέννητον ὑμνεῖν τὸ τῶν θεῶν.* — In istis, quarum Platonicae fabulae plenae sunt, translationibus atque similitudinibus a rebus ipsis iis expressis segregandis ad easque revocandis maximum explicandi impedimentum positum est. Scite vero Plutarchus de Isid. et Osir. cap. 58. *χρηστέον δὲ τοῖς μύθοις, οὐχ ὡς λόγοις πάμπαν οὖσιν, ἀλλὰ τὸ πρόςφορον ἑκάστου τὸ κατὰ τὴν ὁμοιότητα λαμβάνοντας*: et prudenter nuper de eadem re judicavit Baurus (Socrates und Christus p. 97), qui quod, Hegelium opp. T. 14, p. 489 secutus, platonicum in Timaeo

δημιουργὸν fabulose fictum intelligi vult p. 71 et l. c.: eadem veterum Platonis interpretum haud paucorum opinio fuit, in his etiam Tauri, cuius praeclara apud Jo. Philop. c. Procl. de Aet. Mundi (ad argum. *ζ, κα*) exstat disputatio, qua Platonem mundum creatum statuisse, ex eius Timaeo colligi non posse, docere conatur. Fuit omnino fabulosum illud in Timaeo docendi genus ab omni tempore non solum interpretandi maximum impedimentum, sed ansa etiam omnis generis criminum in Platonem temere congestorum ab iis, qui, quae in promptu erant, cavillabantur, sensum reconditum minime curabant: cuius levitatis Aristotelem merito accusat Ammonius Hermiae Comm. in Arist. de Anima lib. 1, fol. 27, *a.* ubi Platonis sententia quaedam de anima, in Timaeo fabulose prodita, his ab Aristotelis cavillatione vindicatur verbis: *τούτοις ἀντιλέγειν ἐπιχειρεῖ ὁ Ἀριστοτέλης, ταὐτὸν ποιῶν, ὡς εἴτις καὶ τοῖς ποιητικοῖς μύθοις ἀντιλέγοι, ὡς οὐ συνᾴδουσι τῇ φύσει τῶν πραγμάτων*, et paucis interjectis: *πλὴν ὡς εἴωθεν ἀεὶ ὁ Ἀριστοτέλης κἀνταῦθα τὸ φαινόμενον ἐλέγχει, ἵνα μήτις τὰ δηλούμενα διὰ τῶν αἰνιγμάτων τούτων συνιδεῖν μὴ δυνάμενος μένῃ μέχρι τοῦ φαινομένου.* Nimirum Aristoteles de iis, quae fabulose apud Platonem docentur, rectius judicaturus erat, si eâ fuisset modestiâ, qualem Plato loco gravissimo de Leg. lib. 10, p. 897, D. hisce commendat: *μὴ τοίνυν ἐξ ἐναντίας οἷον εἰς ἥλιον ἀποβλέποντες, νύκτα ἐν μεσημβρίᾳ ἐπαγόμενοι, ποιησώμεθα τὴν ἀπόκρισιν, ὡς νοῦν ποτὲ θνητοῖς ὄμμασιν ὀψόμενοί τε καὶ γνωσόμενοι ἱκανῶς· π ρ ὸ ς δ ὲ ε ἰ κ ό ν α τ ο ῦ ἐ ρ ω τ ω μ έ ν ο υ βλέποντας ἀσφαλέστερον ὁρᾶν.* quibuscum conf. similia ex Timaeo allata initio disputationis nostrae pag. 4 sqq.

P. 30 med. *fixa quae stant et firma, loco moventur*] Hoc usu venit in iis, quae fabulose docentur Politic. p. 269, C. 270, A sq. de quibus prudenter ista docuit Bessario opere *ἐλέγχων τῶν κατὰ Πλάτωνος*, cod. Mon. 80, fol. 68, b: *εἰ δὲ ποτὲ μὲν ξ υ μ π ο δ η γ ε ῖ ν, ποτὲ δὲ ἀ φ ί σ τ α σ θ α ί φησι τὸν θεὸν, μὴ προσκόψῃς ταῖς λέξεσιν, κατὰ τὴν κοινὴν τῶν πολλῶν χρῆσιν αὐτὰς ἐξηγούμενος. εἴρηται γὰρ δὴ, ἀναγκαίως ὀνόμασιν ἡμῖν συνήθεσι ταῦτα λέγεσθαι, μὴ ἐνὸν ἄλλως, ἵν' ὃ οὐκ ἄλλως ἢ λ ό γ ῳ δ ι α κ ρ ί ν ο ι τ ο μ ό ν ο ν, τῷ π α ρ ο υ σ ί α ς καὶ ἀ π ο υ σ ί α ς ἅπασι παριστοῖτο ῥήματι.*

P. 32 med. *eius fabularum generis, quod cum philosophia de anima conjunctum est*] Possis a potiori, ut vulgo loquuntur, *morale fabularum genus* vocare. Recte enim Weissius in: Theoll. Studd. u. Kritiken, 1837, p. 200: «Bei Platon — sind die Lehren — von dem Schicksale der Seelen, theils vor dem irdischen Leben, theils nach dem irdischen Tode (worin vornehmlich wir zugleich die ethischen Ansichten über die Bedeu-

tung des creatürlich Guten und Bösen niedergelegt finden) fast nur als Mythen vorgetragen. »

P. 33 supr. *Tribuimus fabulam — in genera et partes.*] Conf. quae in universum de fabulis earumque generibus disputat Sallust. De Diis et Mundo cap. 4, p. 40 sq. ed. Orell.: τῶν δὲ μύθων οἱ μέν εἰσι θεολογικοὶ, οἱ δὲ φυσικοὶ, οἱ δὲ ψυχικοὶ (*ad animam pertinentes*) τε καὶ ὑλικοὶ, καὶ ἐκ τούτων μικτοί. Εἰσὶ δὲ θεολογικοὶ μὲν οἱ μηδενὶ σώματι χρώμενοι, ἀλλὰ τὰς οὐσίας αὐτὰς τῶν θεῶν θεωροῦντες. — Φυσικῶς δὲ τοὺς μύθους ἔστι θεωρεῖν, ὅταν τὰς περὶ τὸν κόσμον ἐνεργείας λέγῃ τις τῶν θεῶν. — Ὁ δὲ ψυχικὸς τρόπος ἐστὶν αὐτῆς τῆς ψυχῆς τὰς ἐνεργείας σκοπεῖν. — Ὑλικὸς δέ ἐστι καὶ ἔσχατος, ᾧ μάλιστα οἱ Αἰγύπτιοι δι᾽ ἀπαιδευσίαν ἐχρήσαντο, αὐτὰ τὰ σώματα θεοὺς νομίσαντες καὶ καλέσαντες κτλ. in quibus ut sunt nonnulla recte et convenienter cum nostris disputata, ita prorsus temeraria sunt ista p. 14: πρέπουσι δὲ τῶν μύθων οἱ μὲν θεολογικοὶ φιλοσόφοις, οἱ δὲ φυσικοὶ καὶ ψυχικοὶ ποιηταῖς, οἱ δε μικτοὶ τελεταῖς.

P. 33 med. *fabula de Amore in Convivio proposita*] Nostram nos significare fabulam, sponte apparet: nam quam Aristophanes in Convivio narrasse fingitur, non tam Platonica est censenda, quam Aristophanica, haud aliter ac Protagorea dicenda est, quae in Protagora dialogo a Protagora in medium affertur; qua in sententia qui Platonem propius norint adsensum mihi suum minime denegabunt. Cf. Schleierm. Introd. in Protag. p. 233 et in Sympos. p. 364. Ceterum ambo illae fabulae, si eas ad suum genus revocare velis, totae sunt ex parte prima secundi generis. Quod autem Orellius Annott. in Sallust. de Diis, cap. 5, p. 80 nostram fabulam in ψυχικῶν, quas Sallustius dicit, numerum retulit, secutus in hac re est Mendelsohnii de ea sententiam, de qua suo loco videbimus.

Ibid. *Restant tres fabulae, quae sunt de inferis etc.*] Cf. excerpta ex Olympiodori Comm. in Plat. Phaedon. Cod. Monac. 426, fol. 91, *a*: τρεῖς αἱ λήξεις (*sedes*) τῶν ψυχῶν· ἡ μὲν πρὸ γενέσεως (fort. add. ἐν Διός: conf. seqq.), ἡ δὲ ἐν γενέσει ἐν Ποσειδῶνος, ἡ δὲ μετὰ (fol. 91. *b.*) τὴν γένεσιν ἐν Πλούτωνος, περὶ ἧς ὁ λόγος· διὸ νεκυία. ὅτι τριῶν οὐσῶν νεκυϊῶν, ἡ μὲν ἐνταῦθα μάλιστα περὶ τῶν λήξεων ποιεῖται τὸν λόγον, ἡ δὲ ἐν Γοργίᾳ περὶ τῶν δικαστῶν, ἡ δὲ ἐν Πολιτείᾳ περὶ τῶν δικαζομένων. quae minus integra ap. Forster. Nott. in Plat. Phaed. p. 404 leguntur. Similia ex Olympiod. Comm. in Gorg. attulit Cousinus (Nouv. Fragm. Philos. p. 385).

P. 34 med. *sequitur, ut illae juncti in Platone cum religionis tum scientiae studii summus flos censendae sint*] Prorsus dissentimur a Hegelio Opp. T. 14, p. 188: «Die mythische Form der platonischen Dialoge macht das Anziehende dieser

Schriften aus (quasi vero Plato iis tanquam ludicro aut condimento usus sit!), aber es ist eine Quelle von Missverständnissen; es ist schon eins, *wenn man diese Mythen für das Vortrefflichste hält.*» Ista sententia universae Hegelii in philosophando rationi consentanea est; nostra ex ipsius Platonis ducta est initiis et principiis. Vellem Hegelius unam dumtaxat in Convivio fabulam de Amore a Diotima narratam propius introspexisset: vidisset sane, eam tanquam delibatum florem esse cum omnium, quaecunque reliqua disputatione Diotima de amoris vi in humanam vitam divinitus docuit, tum eorum quae de salutari in Socrate amoris efficacia Alcibiadis oratione postea edocemur, imo eorum quoque, quae antea a reliquis convivis vera in Amorem congesta erant; id quod nos nostra dissertatione planum fecimus. Sed Hegelius nimirum Platonis fabulas non ex ipso Platone, sed sua ex philosophia, opinione praejudicata aestimabat. Itaque vel admonitus a Platone de fabularum suarum sapientia recondita, nihil tamen nisi umbras quasdam et *σχήματα* rerum, dialectica ratione longe accuratius explicandarum et ab ipso, opinor, explicatarum, videre in iis sibi videbatur. Quod judicium temerarium non esse, quisque videbit, qui cognoverit, quomodo Hegelius Opp. T. 14, p. 211 inf. et sq. ad elevandam amplitudinem doctrinae, fabula in Phaedro narrata reconditae, abusus sit ipsius verbis Platonis, fabulae praemissis p. 246, A. *περὶ δὲ τῆς ἰδέας αὐτῆς ὧδε λέγομεν· οἷον μέν ἐστι, πάντῃ πάντως θείας εἶναι καὶ μακρᾶς διηγήσεως, ᾧ δὲ ἔοικεν, ἀνθρωπίνης τε καὶ ἐλάττονος.* Tantum enim abfuit, ut istis admonitus verbis, sub *humana* fabulae specie *divinam* quandam quaereret doctrinam, cui enarrandae omnis impar sit oratio dialectica, ut totam illam doctrinam de vita animi coelesti, deque eius in terris recordatione et amore ad nescio quam revocaret sententiam, ab ipso scilicet Platone sive per lusum, sive ob imbecillitatem mentis fabulose expressam. Itaque mirum non est, eundem in Phaedone, cuius magna pars illa de reminiscentia doctrina, ad suam opinionem interpretando mire argutatum esse l. c. p. 212 sq. quo loco quae de immortalitatis ratione in Phaedone explicata idem disputavit, itidem adulterant Platonis doctrinam. Longe melius Hegelio majestatem et amplitudinem doctrinae platonicae, fabula in Phaedro narrata expressae, perspectam habuerunt Schelling. in Pauli Memorabill. Part. 5, p. 63 inf. sq. Schleierm. Introd. in Phdr. p. 79 sq. Heusd. Init. Ph. Pl. 1, p. 95. Baurum miror, qui libro de Socrate et Christo Hegelii sententiam de fabula illa tantum non suam fecerit, p. 44, immemor eorum, quae ipse aliis libri sui locis ex illa fabula, tanquam platonica, derivavit.

P. 55 inf. *rerum obscuritas, non verborum facit, ut non intelligantur*] Conf. Chalcid. in Plat. Timae. p. 420 ed. Meurs. = p. 394 ed. Fabric. (Hippol. Opp. T. 2).

P. 36 med. *Platonomastiges illis*] Horum gregi se adscribere minime dubitavit Rückertus, quum scriberet, quae scripsit in putidissima illa Expositione de Platonis Convivio, p. 290 inf. et sq. Tu, quaeso, audias, quae Astius homini in philosophia platonica hospiti objecit in Ephemm. Litt. Jenn. 1832, N⁰. 52, p. 438: « Hat Rückert wohl daran gedacht, wie Plato zwischen dem, was man wissen kann, und dem, was blos Gegenstand der Vermuthung und des Glaubens ist, unterscheidet? Ueber jenes philosophirt er, dieses aber behandelt er mythisch, also mehr poetisch als philosophisch. Gänzliche Verkehrtheit wäre es, den Plato darum tadeln zu wollen, dass er bei solchen Gegenständen den Pfad der ernsten Forschung verlässt und den Irrgängen der Phantasie (so könnte es scheinen) folgt. Sollen wir ihn, den phantasie- und kunstreichen Hellenen nach dem beschränkten Masse eines modernen Philosophen beurtheilen? Mit allem Nachdruck müssen wir solche seichte Ansichten und Urtheile zurückweisen, wenn sie auch die Autorität eines Wieland für sich haben, dessen Aristipp [lib. 3, ep. 12] Rückert anführt. » Platonem propter fabulosum in Timaeo docendi genus eadem temeritate reprehendit clar. Lobeckius, qui nobis Platonem cum Jacobo Boehmio tanquam mysticum composuerit Aglaoph. lib. 2, t. 2, p. 946, not. Tanti est, in philosophia platonica haud plane hospitem esse! Iis quae Astius l. c. disputavit adde Trautmann. *De Fonte ac Fine Philos. Plat.* p. 12 inf. et sq.

P. 37 inf. *Narrant igitur — — — hoc fere modo*] Vid. Sallust. de Diis, cap. 4, p. 8, ed. Orell. *πρὸς δὲ τούτοις τὸ μὲν πάντας τὴν περὶ θεῶν ἀλήθειαν διδάσκειν ἐθέλειν κτλ.* et Jamblichus, a Galeo laudatus, de Myst. 3, 15, p. 79: Macrob. Comm. in S. S. 1, 2: « De Dîs autem etc. etc. » Julian. Orat. 5, p. 570, A, B: Procl. in Platon. Polit. p. 369. Synes. Prooemio ad librum de Insomn. *ἀρχαῖον οἶμαι κτλ.*: Simplic. in Aristot. Categor. fol. 2, *a. B. Γ*: Olympiodor. Comm. in Plat. Gorg. ap. Cousin. *Nouv. Fragm. Philos.* p. 381 sq.: Jo. Philopon. vel potius Ammonius Hermiae fil. Comm. in Aristot. de Anima lib. 1, fol. 27, *a*, sq. qui fabularum usum apud Platonem Pythagoreorum auctoritate defendit, qui symbolis suis sapientiam reconditam cum initiatis communicarint, a vulgo profano secluserint. Similiter de fabularum usu ap. Platonem judicavit Orig. c. Cels. lib. 4, 39, p. 533, D. ed. Ruae.

P. 38 supr. *prorsus falsum est, quod etc. etc.*] Conferantur, quae contra istam sententiam scite nuper disputarunt Müllerus in: Theoll. Studd. und Kritiken, 1836, p. 843 med. sqq. et Stuhrius: Die Religionsformen der alten Völker, T. 1, Praef. p. LIII sq.

P. 39 supr. *Qui quo magis prima gentis aetate et quasi infantia etc. etc.*] Egregie Synes. de Provid. p. 90, A. ὁ — μῦθος φιλοσόφημα παίδων ἐστίν: et verissime Hegel. Opp. T. 14, p. 189: «Die mythische Darstellung, als älter, ist Darstellung, wo der Gedanke noch nicht frei ist —», et paucis interjectis, quae nos ad p. 30 supr. attulimus: «Es ist Reiz, Weise anzulocken, sich mit Inhalt zu beschäftigen. Es ist etwas pädagogisches. Die Mythe gehört zur Pädagogie des Menschengeschlechts.» Adde Stuhrium l. c. p. LIV.

P. 39 inf. *tanquam lusum ingenii* —] In ista opinione miror etiam Lobeckium esse, qui in Aglaophamo (T. 1, p. 109 annott.), ubi Plotinum merito ideo laudat, quod se a Zoroastreis oraculis et theurgorum mendaciis toto Enneadum opere sobrie abstinuerit, hunc istius laudis quasi cumulum adjecerit: «Mythorum interpretationes allegoricas rarissime nec ultra Platonis exemplum affectavit, hoc uno nomine reprehendendus, quod quae ille per jocum animique causa dixit, in serium vertit.» Tu conf. Schol. ad pag. 36 med.

P. 41 med. *a Schellingio*] vid. Scholl. ad p. 2.

P. 41 inf. *haec observatio: omnis etc. etc.*] Cf. Schellingius disputatione ad pag. 2 laudata p. 65 inf. et sq.

P. 42 supr. *Possem etc. etc.*] Cf. Schol. ad p. 64.

P. 45 inf. *Duplex autem est dei Amoris — vis ac potestas etc.*] Cf. P. F. Stuhrius in libro, qui inscribitur: Die Religions-Systeme der Hellenen — (Berol. 1838) p. 386 sqq.

P. 46 med. Quae nos h. l. de deorum nominibus ad res, quibus illi praesidere fingebantur, saepenumero translatis diximus, accepta referimus F. V. Fritzschio: Quaest. Lucian. p. 4 sqq. De Amoris nomine cum amore commutato cf. Plato Symp. p. 181, B. οὗτός ἐστιν (ὁ Ἔρως), ὃν οἱ φαῦλοι τῶν ἀνθρώπων ἐρῶσιν, et vid. Stallbaum. ad Symp. p. 196, D. qui hanc in loquendo levitatem pluribus locis in Agathonis oratione notavit: sicubi autem Socrates in oratione, quam refert, Diotimae simili cum negligentia locutus reperitur, semper id ita factum videbis, ut, quae μυθικῶς de Amore tanquam daemone disputata erant, ad ipsum amoris affectum, in daemonis personam antea animatum, διαλεκτικῶς traducantur inque eum resolvantur.

P. 46 inf. *ut, quae antiqui etc.*] Huius confusionis vestigia antiquissima jam apud Hesiodum apparent. Vid. Stuhr. libro laud. p. 387 sq.

P. 49 med. *Qui mihi quidem etc. etc.*] De consilio, quod Plato in Convivio secutus sit, perverse multi judicarunt. Tiedemannus quidem Platonicc. Dialogg. Argumm. p. 333 sq. et Morgenstern. *de Menone dialogo* (Hal. 1794) p. 17, ann. 46, recte fecerunt, quod primarium dialogi consilium non in Socratis de-

fensione positum esse, cum Wolfio Introd. p. XXXVIII et Hartmanno in prolusione de Proposito Symposii Platonis (vid. Comm. Soc. Philol. Lips. T. 1, p. 166) arbitrati sunt, sed quod secundarium istud consilium cum primario explanandae praestantissimi amoris naturae conjunctum a Platone statuerunt, in eo ut ἀσύγκλωστα συγκλώθουσι, ita longe tamen sanius fuit eorum judicium, quam Rückerti, qui Platonem per totum dialogum non de amore sententiam explicasse, quam res quaslibet alias spectasse opinatus est; quam perversitatem merito castigarunt Stallb. Prolegomm. ad Symp. ed. 2, p. 36 sq., Astius Ephemerid. Litter. Jenens. 1832, Nro. 53, p. 439 et C. F. Hermann. Ephem. Scholast. Darmst. 1830, Part. 2, Nro. 7, p. 53 sqq. Hommelius etsi amoris explanationi et laudibus Platonem hoc dialogo studuisse non negavit, multa tamen a Platonis consilio et ab universa antiquitatis ratione longe remota temere admiscere studuit, recte ideo notatus a Stallb. l. c., apud quem etiam Socheri cognoscas sententiam, haud magni ab eo factam, neque nobis probatam ideo, quod itidem ἀσύγκλωστα συγκλώθει, nimirum imaginem philosophi in vitae hilaritate constituti, illustrationem placitorum de diviniore amore in Phaedro adumbratorum, denique certamen cum adversariis in scribendis orationibus amatoriis a Platone initum. Jam Schleiermacherus in eo peccavit, quod, dummodo Phaedonem et Convivium conjungeret et una specie comprehenderet, utroque dialogo imaginem perfecti philosophi Socratis laudibus ita illustratam arbitratus est, ut in Convivio quidem omnia ad imaginem perfecti philosophi in vita et actione constituti, morti autem proximi et e vita jamjam excessuri in Phaedone Socratis personâ referantur. Nam, etsi utriusque dialogi consensum in vero philosopho Socratis exemplo celebrando nemo non advertit (quem diu est, quod Dan. Heinsius carmine de contemtu mortis lib. 1, p. 5 sqq. egregie illustravit), tamen Schleiermacherus in hoc consensu rimando et declarando Amoris laudes, a Socrate et a reliquis convivis celebratos, prae ipsius laudatione Socratis tantum non neglexit. Itaque non tam quid dialogus per se sibi velit ex ipsius vestigiis accurate legendis explorasse, quam ex vicino Phaedone eum intellexisse censendus est. Vide Trendelenburg. de Platonis Philebi Consilio (Berol. 1837) p. 5, et confer, qui qua ex parte Schleiermacheri sententia laboret, ostenderunt, Stallb. l. c. p. 38 sq., C. F. Hermann. l. c. p. 54, qui tamen Diotimae orationem Socratis laudationi nimium praeposuit. Amplexi eam et defendere conati sunt Rötscher: Das Platon. Gastmahl, ein philos. Kunstwerk (Bromberg. 1832) p. 27, Trautmann.: De Fonte ac Fine Platonis Philosophiae (Breslav. 1835) p. 22, Hertel. Commentationum de Plat. Politico Specimine (Hal. 1837), p. 13 sqq. qui in Stall-

baumio reprehendendo νεανιεύεσθαι tantum videtur. — Mihi quidem totum dialogum περὶ ἔρωτος esse verissima veterum videtur sententia: id enim argumentum primum καθαρτικῶς (vid. Diss. nostram p. 48 sq.), deinde θεωρητικῶς, denique πρακτικῶς illustratum habemus. Vide, qui in eadem sunt sententia, Creuzer. Annal. Vindob. t. 56, p. 125, Stallb. l. c. p. 55 et Prolegomm. in Phaedr. p. XX. ubi qui laudatur Astius l. c. p. 459 sq. eandem rationem, licet fucatam Schellingianis coloribus, explicuit. Ac diu est, quod illam veterum de Convivii proposito sententiam tueri et explicare conatus est Serranus Opp. Plat. ed. H. Stephan. T. 1, p. 168 sq. qui hodie quoque audiendus esset, si minus ferociter de orationibus Socraticam antecedentibus judicasset, sed veri semina per eas sparsa collegisset, praeterea Alcibiadis orationem coeco quodam horrore non aversatus esset; nam quae ille de Socratis oratione disputavit, mihi quidem maximam partem probantur. Ceterum Wielandius verum a se ex parte perspectum calumniari quam tueri maluit Aristipp. lib. 3, ep. 2.

P. 49 med. *tum ut Socratis ore emendaret illas opiniones*] Pulcre hoc vidit Bessario, cui in opere ἐλέγχων τῶν κατὰ Πλάτωνος βλασφημιῶν, cod. Monac. 80, fol. 105, b, Socrates idcirco nuncupatur τῶν ἄλλων (nim. convivarum) παιδευτής τε καὶ σωφρονιστὴς καὶ μόνος ἔνθεος ὢν καὶ τῷ θείῳ ἔρωτι κάτοχος. Eodem pertinent, quae idem in universum quidem recte. sed paullo severius et neglectis veritatis seminibus, per reliquorum orationes a Platone sparsis, de his ipsis judicavit orationibus l. c. fol. 105, *a*. ἀπαιτεῖ τὸ εἶδος τοῦ διαλόγου, ὡς ἅ τις ἐλέγξαι βούλεται, ταῦτ' εἰςάγειν ἑτέρους ἐγκρίνοντας, τοὺς τοιαύτην ἂν περὶ ἐκείνων ἔχοντας δόξαν, εἶτ' αὐτὸν ἐκεῖνα ἐπιχειρήμασιν ἐναντίοις ἀνατρέπειν. ὃ καὶ Πλάτων ἐνταῦθα ποιεῖ· τῶν ἄλλων γὰρ τῶν τουτουὶ τοῦ συμποσίου κοινωνησάντων τὸν αἰσχρὸν ἔρωτα ἐπαινούντων, ὁ Σωκράτης τοῦτον μὲν ἀποδοκιμάζει, τὸν δὲ σεμνόν τε καὶ θεῖον ἐκεῖνον ἐπαινεῖ καὶ ἐγκρίνει. qua de refellendi ratione Platoni usitata nonnullis bene monet, et quinque potissimum personis hoc refutandi et vera enunciandi munus ab eo in dialogis tributum docet, Socrati, Timaeo, Parmenidi, hospitibus Atheniensi et Eleati.

P. 50 supr. *quod munus — a viris doctis — bene — affectum est*] Vid. Wieland. Aristipp. lib. 3, ep. 12, p. 170—174, T. 5, ed. Carolirnhens., Schleiermacher. Introd. in Symp. p. 362 inf. et sqq. Stallbaum. Prolegomm. ad Sympos. ed. 2, p. 25 inf. et sqq. Rückert. Expositione Uberiore de Plat. Conv. p. 234 sqq. — 284. Hommel. Comment. de Plat. Symp. p. XXIV sqq. — XL, qui tamen, pariter ut Rückertus, multa ἀπροςδιόνυσα disputavit, Trautmann. Comm. de Fonte ac Fine Platonis

Philosophiae, p. 25 — 27, Rötscher: Das Platon. Gastmahl, dargestellt als ein Kunstwerk, p. 5 — 19, cuius tamen in censura multa novitiam sapiunt sapientiam. Quid autem singulis in orationibus maxime castigandum sit, ipse Plato haud obscure significavit cum iis, quibus convivas deinceps disputantes orationes suas a convellendis aut saltem elevandis prioribus ordiri fecit, tum vel maxime iis, quibus Socratem ipsum prooemio suae orationis aperte et in eius decursu Diotimae ore tecte emendantem prius disputata induxit. V. c. conf. p. 205, D. *καὶ λέγεται κτλ.* quibus Aristophanis rationem reprehendi diu est quod vidit Bessario opere *ἐλέγχων τῶν κατὰ Πλ.* cod. Mon. 80, fol. 106, *a.* Neque vero eundem illud praeteriit, quod p. 208, D. elevantur, quae in Alcestidis et Achillis laudes Phaedrus p. 179, B, E sq. dixerat. Sic enim ille lib. 4, fol. 107, *a*: *καὶ ἐπίστησον, ὡς ἐνταῦθα Ἀχιλλέως καὶ Ἀλκήστιδος ἄλλως Σωκράτης ἢ ὁ Φαῖδρος τῷ παραδείγματι χρῆται. ὁ μὲν γὰρ ἐπὶ τὸ αἰσχρότερον, ὁ δ' ἐπὶ τὸ σεμνότερον αὐτῶν μέμνηται. οὐ γὰρ δι' αἰσχρὸν ἔρωτα, ἀλλὰ τοῦ καλοῦ καὶ ἀθανασίας ἐφιεμένους αὐτοὺς διαπράξασθαι ἃ πεποιήκασι φάσκει, Ἄλκηστιν μὲν, εἰ καὶ δι' ἔρωτα γαμικὸν μέντοι καὶ ἐπαινετὸν, ὅμως ἀϊδίου μνήμης ἕνεκα, Ἀχιλλέα δὲ διὰ φιλίαν ἐπαινετὴν καὶ κλέος ἀείμνηστον καὶ ἀθάνατον, Κόδρον δὲ διὰ πολιτικὴν ἀρετὴν καὶ τῶν παίδων ἀΐδιον βασιλείαν.* Cf. quae nos in Scholiis extrema annotatione ad pag. 51 supra diximus. Alia ex hoc genere plura nos Commentario in Plat. Symp. ad Diotimae orationem annotabimus. — Ceterum quemadmodum in aestimandis orationibus convivarum, qui ante Socratem dixerunt, magnopere cavendum est, ne veritatis semina iis a Platone condita negligas (id quod Bessarioni, omnia ad *ἔρωτα αἰσχρὸν* referenti, et Rückerto atque Hommelio ll. cc. accidit), ita fugiendus est error contrarius, quo quae *ἕωλα* et sophistica in illis sunt orationibus, tanquam platonica venditantur, id quod miror interdum factum a Heusdio Init. Philos. Plat. Vol. 1, p. 107 — 118. p. 120 inf. — 122 supr. et p. 176 et a Rötschero l. c.

P. 51 supr. *Sequitur Aristophanes, qui etc.*] Juvat h. l. praeclaro quodam exemplo ostendere, quantum sibi in Platone judicando sumant homines in eius scriptis levissime versati. Audi, quaeso, Carovium (Cosmorama p. 220) ista magno cum supercilio de Aristophanis oratione disputantem: «Von dieser Richtung und diesem Bedürfniss des Geistes [sich in der mystischen, und zwar liebenden Vereinigung mit Gott das Gefühl seiner Einigkeit zu geben] kann in Wahrheit erst seit Christus, der der Menschheit *das Bewusstsein derselben* gegeben hat, gesprochen werden; denn was Plato den Sokrates, den Vernichter des Heidenthums, im Symposium (ed. Bekk. T. 2, p. 401, 402 i. e. initio orationis Aristophanicae) von der Liebe sagen

lässt, ist als *nur in prophetischer Begeisterung* gesprochen zu betrachten.» Aristophanis orationem cum laudaret, Socratem tamen a se commemoratum negligentissime putavit. Et ut ista de oratione illa pronuntiaret, quantis opus erat allegoricae interpretationis ambagibus! Quod si eadem de Socratis oratione dixisset, non ille quidem propter allegoricae interpretationis perversitatem reprehendi posset, neque tamen ideo magis vera doceret. Quae enim Plato Socratem Diotimae ore de desiderio divinorum humanae menti natura insito cum reliqua oratione, tum, quod ex nostra dissertatione apparet, fabula nostra docentem fecit, ea ille non per somnium pronuntiasse censendus est, sed *conscius desiderii istius*, quod vel maxime in eius pectore viguisse necesse est, siquidem aliter fieri non potuisset, ut, quod illius laudes auget, non imminuit, *vaticinante furore* ea effaretur, quae, si compararentur cum Christi de eadem re effatis, revera christianae sapientiae vaticinia habenda sunt. — Ceterum perversa illa interpretandi ratio allegorica, qua Carovius in Aristophanis fabula Platonicae sapientiae mysteria rimatus est, etiam recentioribus Platonicis usitata fuit; alioquin loquendi formulas, quibus illa fabula insignis est, nunquam ad res intelligibiles, quaeque illic de desiderio amissae corporeae integritatis, deque amore eius vindice dicuntur, ad desiderium integrae et divinae in rebus coelestibus vitae retulissent, id quod eos fecisse, Commentario nostro docebimus. In Aristophanis fabula ad eandem rationem explicanda Ficini ingenium luxuriatum est Opp. ed. Basil. T. 2, p. 1331 — 1334, neque nostra memoria defuerunt, qui praeter Carovium in Aristophanis oratione summa mysteria platonicae de amore doctrinae videre sibi viderentur. Videantur Heusdius Initiis Philos. Plat. vol. 1, p. 120 inf. et sq., et libello germanica lingua ab eodem conscripto: Versuche philosophischer Forschungen in den Sprachen, p. 77, Rötscher: Das platon. Gastmahl, dargestellt als ein philos. Kunstwerk, p. 13 — 16, Schnitzer in: Verhandlungen der ersten Versammlung deutscher Philologen — in Nürnberg 1838, p. 24 sq. quos si audias, vix erat, quod Socrates Diotimam fabula nostra et disputatione ei annexa naturam amoris nobis panderet, praeclare scilicet antea jam declaratam Aristophanis oratione. Itaque mirum non est, Heusdium Init. vol. 1, p. 179, et in: Versuche p. 78 med. eo tantum nomine Diotimae fabulam Aristophanicae praetulisse, quod, quae ista expressa sit natura amoris, eadem illa evidentius etiam declaretur. Qua in ratione uti illud mihi quoque probatur, quod istas fabulas tanquam secum cognatas comparavit, ita miror, eundem, non magis quam reliquos viros dd. a nobis laudatos, in summa, quae videtur, utriusque fabulae similitudine, summam qua inter se discrepant differentiam non ani-

madvertisse: nam cum utraque fabula insita humanae naturae amoris vis ad studium amissae integritatis recuperandae et ad ardorem explendae indigentiae nobis innatae referatur, Aristophanis quidem fabula amoris natura desiderio amissae integritatis corporeae circumscribitur, Diotimae fabula ad vitae beatae desiderium amoris fines proferuntur: hac fabula amor, humanae naturae insitus, explenda divinorum bonorum indigentia, mortali nostrae naturae agnata, illa fabula explendo studio pristinae integritatis corporeae in beatitatem nos vindicare docetur: illic veritatis umbram et coecum vestigium vides, hic plena luce maiestatem veritatis intueris; id quod Platonem ipsum de industria significasse videbis, si Diotimae verba, p. 211, D. *οὓς νῦν ὁρῶν — ξυνεῖναι* contuleris cum Aristophanicis p. 192, *θαυμαστὰ ἐκπλήττονται — σμικρὸν χρόνον.*

P. 51 inf. *Hanc — videbimus*] Utriusque loci comparationem diu est quod instituit Bessario in *ἐλέγχοις τῶν κατὰ Πλατ.* cod. Mon. 80, fol. 105, *b.* Alia, quae de hoc Symposii loco gravissimo in promptu habemus, Commentario nostro reservamus, ne nostra ipsi scrinia expilare velle videamur.

P. 52 med. *Informat igitur etc. etc.*] In hisce, uti in verbis hac pag. insequentibus, interprete passim usi sumus Wyttenbachio Bibl. Crit. V. I, P. I, p. 59 inf. et sq. Idem valet de iis, quae inde a pag. 54 med. usque ad p. 56 supr. ex Symposio retulimus: conf. Wyttenb. l. c. p. 40 med. — 42 med. Nec non in enarranda Diotimae oratione p. 58 et sqq. eiusdem viri facundia, licet rarius, usi sumus: conf. cum nostris illis Wyttenbachiana p. 42 inf. et sqq.

P. 60 supr. *Quid enim — obtulit*] Vix est, quod viros eruditos moneam, me h. l. in usus meos convertisse, quae Cicero Tusc. I, 15, 32 de immortalis gloriae studio praeclare docuit. Nimirum ille cum aliis multis tum illo loco Platonis de hac re in Symposio sententias, in succum et sanguinem a se conversas, cupidissime celebravit; qua de re nunc contentus sum provocare ad Heusdii, filii, *Ciceronem Φιλοπλάτωνα* p. 196 — 199.

P. 60 med. *Sunt enim, qui etc. etc.*] Haec et quae a Diotima deinceps usque ad sermonis finem dicuntur, egregiis versibus complexus est C. Fraguerius in carmine didactico, quod inscribitur: Schola Platonica De Hominis Perfectione (Paris. 1721, 8º.) p. 15 sq.

P. 62 med. *Hunc ad gradum — qui evectus est etc. etc.*] Graeca — *ἀεὶ ἐπανιέναι, ὥςπερ ἐπαναβαθμοῖς χρώμενον* — egregiis versibus expressit Miltonus Parad. L. lib. 8, vs. 589 sq. id quod minime fefellit eruditum eius interpretem, Thyerum, qui

praeter nostrum alios locos similes, in his etiam egregium Spenceri, comparavit.

P. 65 supr. *cuius anima — — — virtutibus.*] His ipsis Augustinus usus est verbis in imitatione loci, quem expressimus, platonici e Convivio. Sic enim ille de Civ. D. lib. 9, cap. 4: « Bonum — nostrum nullum est aliud, quam illi (nim. *Deo*) cohaerere, cuius unius anima intellectualis incorporeo, si dici potest, amplexu veris impletur foecundaturque virtutibus. » Quae Vives et Coqueus cum his nostris Platonicis, tanquam inde profecta, rectissime compararunt p. 885, 888, ed. Francof. 1641, 4°, vol. I. Cum iis, quae apud Platonem praecedunt *ὁρῶντι-τὸ καλ.* confer ista, itidem inde paulo ante expressa ab Augustino: « Ad hunc videndum, sicut videri poterit, eique cohaerendum — mundamur etc. » Nec non Platonica p. 210, E. *πρὸς τέλος ἤδη ἰὼν τῶν ἐρωτικῶν* — et p. 211, D. *ἐνταῦθα τοῦ βίου — βιωτὸν ἀνθρώπῳ* conferenda sunt cum Augustinianis ibid.: « Ipse fons nostrae beatitudinis, ipse omnis appetitionis est finis — » et paullo post: « ad eum dilectione tendimus, ut perveniendo quiescamus: ideo beati, quia illo fine perfecti. » Huiusmodi *ἀπηχήματα* sexcenta, hactenus nemini cognita, nos Commentario in Plat. Symp. suo tempore notabimus. Recte autem fecisse nunc apparet Bessarionem, qui in *ἐλέγχοις τῶν κατὰ Πλάτωνος βλασφημιῶν* cod. Monac. 80, fol. 109, *a*. Augustinum in eorum patrum eccl. numerum retulerit, qui, ut ipse ait, ubi de amore divino loquuntur, *καὶ ῥήματα καὶ διάνοιαν Πλάτωνος ἐγκρίνουσι καὶ ταὐτὰ ἐκείνῳ φασί*, i. e. gemina iis, quae ille de re eadem potissimum in extrema Socratis oratione docuit.

ENARRATIO EORUM, QUAE INDE A PLUTARCHO USQUE AD NOSTRAM AETATEM AD INTERPRETANDAM FABULAM ALLATA FUERUNT.

P. 64. IPSA FABULAE EXPLICATIO.] Fabulam totam aut ex parte simpliciter respexerunt vel laudarunt isti ex veteribus, maximam partem notati Davisio ad Maxim. Tyr. p. 532 ed. 2, Goensio ad Porphyr. de A. N. p. 107, Wyttenbachio ad Plut. Mor. animm. p. 248 ed. Ox. = p. 193 ed. Lips., Astio ad Plat. Symp. p. 262 ed. Landishut., Maximus Tyr. Diss. 10, 4, p. 107, Diss. 24, 4, p. 287, Diss. 24, 9, p. 297, Porphyrius de A. N. cap. 16, Themist. Orat. 13, p. 162, B, C, D, p. 163, C, Hermogen. Περὶ Ἰδ. lib. 2, cap. 4, p. 397 ed. Laurent. Menander de Encom. p. 50 ed. Heeren., Laur. Lyd. de Mensib. p. 282 ed. Has. quibus accedant, qui fabulam imitari conati sunt, personatus Hermes Trismeg. ap. Stob. Eclog. lib. 1, cap. 52, nº. 40, p. 936 ed. Heeren.*), qui pariter ut Wyttenb. l. c. imitationem in fabula de Inventione a Labore et Natura procreata notavit, et Themistius Orat. 24, p. 305, B, C. cuius cum fabula de fratribus Anterote et Erote confer Platonica Symp. p. 203, E. — Explicare fabulam aut saltem doctrinam ea, ut ipsis videbatur, reconditam in usus suos convertere multi ex veteribus conati sunt. Ac primus nobis h. l. laudandus erat Aristoteles, si quidem verum vidisset Patricius Discuss. Perip. 2, 6, p. 238, ubi «Omnia, inquit, quae ab Aristotele materiae attributa sunt, fuere antiquiorum praeter definitionem, et quod sit accidens, non ens, et quod sit proprie substantia, et quod divina appetat. Hoc tamen potuit ex Platone desumere, cum

*) Tota illa Hermetis narratione Φύσις loco vulgati φύσις reponendum.

ait [Timae. p. 51, A.] *μεταλαμβάνον δὲ ἀπορώτατά πη τοῦ νοητοῦ*, quod est divinum: potuit etiam ex fabula Peniae et Pori, quae est in Symposio, desumi.» Nunc primo nobis loco ponendus est Plutarchus de Is. et Osir. p. 374, C, D, cui *ὁ Πόρος* i. q. *τὸ πρῶτον ἐραστὸν καὶ ἐφετὸν καὶ τέλειον καὶ αὔταρκες*, *Πενία* i. q. *ἡ ὕλη*, *Ἔρως* q. d. *Ὧρος* i. q. *ὁ κόσμος*. Adde, quae idem de Is. et Os. p. 372, E. de amore *τοῦ πρώτου καὶ κυριωτάτου πάντων*, materiae insito, *μυθικώτερον* praedicat, hausta nimirum ex narratione de Peniae erga Porum affectu. Sententiam a Plutarcho prolatam, a Plessingio Memnonii T. 2, p. 429 sq. et a Schellingio Brunone dialogo p. 188 recoctam: Amorem esse cosmogonicum, recte refutavit Plotin. 3, 5, 5, p. 293, C-F. cuius sententiam, 3, 5, 6, p. 293, A sqq. 295, C sqq. 296, F sqq. 298, B sqq. 317, B sq. al., per multas verborum ambages explicatam, in brevius ita contraxit Vigerus ad Euseb. P. E. p. 384, D.: «Venerem *τὴν ψυχὴν* esse docet: Porum *τὸν πάντων λόγον* [Peniam *τὴν ὕλην*]: Jovem *βασιλικώτατον νοῦν*: Pori ebrietatem *λόγον ἀπὸ κρείττονος ἀρχῆς πεσόντα εἰς ἐλάττω*: Jovis hortum, quod omnis hortus *ἀγλάϊσμα* sit *καὶ πλούτου ἐγκαλλώπισμα*, aliud esse nihil, quam *τὰ περὶ τοῦ νοῦ αὐτοῦ εἰς τὴν ψυχὴν ἐλθόντα ἀγλαΐσματα*, h. e. *τοὺς λόγους τοὺς παρ' αὐτοῦ ῥυέντας*: Amorem ipsum animae desiderium *πρὸς τὸ κρεῖττον* [s. *ἐνέργεια ψυχῆς, ἀγαθοῦ ὀριγνωμένης*]: ex Penia et Poro natum, quod *μετέχει μὲν ἐνδείας, ᾗ πληροῦσθαι θέλει, οὐκ ἄμοιρος δ' εὐπορίας ἐστὶν, ᾗ οὗ ἔχει τὸ ἐλλεῖπον ζητεῖ.*» — Plotinum secutus, Peniam *τὴν τῆς οἰκείας δυνάμεως κένωσιν*, quam anima ad materiam delapsa patiatur, Porum *τὸ πλῆρες*, quod eidem divina natura praebeat, interpretatus est Porphyr. in *ἀφορμαῖς πρὸς τὰ νοητὰ* ap. Stob. Ecl. lib. 1, c. 52, n° 19 extr. p. 826, T. 2, ed. Heer. qui non magis quam Astius locum laudans vidit, loco mendosi *κόρον* genuinum *Πόρον* ex Platone reponendum esse, id quod fieri jussit P. Petit. Obss. Misce. 2, 12, praeterea etiam *Πενίαν* non *πενίαν* scribi oportere, siquidem pluralis *οἱ γνόντες* potissimum ad Platonem respicit. Mendosa scriptura *κόρος* ut ap. Themist. Orat. 13, p. 162, B, in cod. A sedem genuinae *Πόρος* quater occupavit (vid. Dindorf. p. 199, 10), ita eandem itidem expulit ap. Porphyrium, fabulam similiter accipientem de animo, ex divinae naturae copiis ac beatitate in materiae inopiam ac miseriam delapso, de Abst. lib. 3, 27, p. 288, ed. Rhoer. (id quod minime fefellit Reiskium ap. Rhoer. p. 289 et Ruhnkenium ap. Goens. ad Porphyr. de A. N. p. 107) et in Appendice Opusculorum Porphyrii ed. Holsten. Cantabrig. p. 274 hoc loco: *ἐλάττων ἐγίγνου τῇ προςθήκῃ* (accessione corporis et animae sensibilis), *ὅτι μὴ ἐκ τοῦ ὄντος ἦν ἡ προςθήκη. οὐδὲν γὰρ ἐκείνῳ* (animo) *προςθήσεις. ὅταν οὖν τις καὶ ἐκ τοῦ μὴ*

ὄντος γένηται τόπος (comma deest, et f. l. τόκος) τῇ πενίᾳ σύνοικος (nim. *erit*) καὶ ἐνδεὴς πάντων. ἀφεὶς οὖν τὸ μὴ ὂν (*animus* nim.), τότε πᾶς κόρος αὐτὸς ἑαυτοῦ (nim. *erit*): quorum extrema Holstenius sic vertit: *tunc sibi ipsi omnium erit sufficientissimus*. Sed hic quoque, etsi alias κόρον divinae naturae a Platonicis celebrari bene scio eamque a Porphyrio paullo ante tanquam κεκορεσμένην ἐξ ἑαυτῆς descriptam video, tamen κόρος itidem in πόρος, sive id mavis, in Πόρος commutari volo propter illa τῇ πενίᾳ sive τῇ Πενίᾳ σύνοικος, quibus verbis aperte respicitur ad Sympos. p. 203, D. — ἐνδείᾳ ξύνοικος, quae Porphyrius similiter de *animi commercio cum inopia naturae corporeae* interpretatus est de Abst. l. c. et in Append. Holsten. p. 276. ὅσοι ἂν παρεξέλθωσιν ἀπὸ τοῦ εἶναι ἑαυτῶν πρὸς τὰ ἄλλα, ἀποῦσιν ἑαυτοῖς ἄπεστι καὶ τὸ ὄν. εἰ δ' ἡμεῖς ἐπεφύκειμεν ἱδρῦσθαι ἐν τῇ αὐτῇ οὐσίᾳ καὶ πλουτεῖν ἐφ' ἑαυτῶν καὶ μὴ ἀπέρχεσθαι πρὸς ὃ μὴ ἦμεν καὶ πένεσθαι ἑαυτῶν καὶ διὰ τούτων πάλιν τῇ πενίᾳ συνεῖναι, καίπερ παρόντος αὐτοῦ (nim. τοῦ ὄντος). (repone comma) καὶ ἀπὸ τοῦ ὄντος οὐ τόπῳ, οὐκ οὐσίᾳ κεχωρισμένοι, οὐδ' ἄλλῳ τινὶ ἀποτετμημένοι, τῇ πρὸς τὸ μὴ ὂν στροφῇ χωριζόμεθα· δίκην ἄρα ταύτην ἀποτίνομεν. — Jamblichus ap. Simplic. in Aristot. Categ. fol. 93, *a*. Pori et Peniae commercium ad *communicationem* (μέθεξιν Plato dicit) *divinae naturae cum materia* haud obscure retulit: — οὐ γὰρ ἔδει, inquit, τὴν ἐν γενέσει φερομένην (add. οὐσίαν ex cod. Monac. 399, fol. 468, *a*) πολλῶν οὖσαν καθ' ἑαυτὴν ἐπιδεῆ, διὰ τὸν ὡς (leg. εἰς cum cod. Mon.) ἔσχατον μερισμὸν ἄμοιρον αὐτὸν (l. αὐτήν: om. cod. Mon.) τελέως τῆς (add. τῶν ὑπὲρ αὐτὴν ex cod. Mon.) μετουσίας ἀπολείπεσθαι· πόρον δέ τινα ἐκτήσατο καὶ ἰσχὺν εἰς τὴν κράτησιν τῶν ὠφελίμων ἐγειρόμενον (cod. Mon. πόρον δέ τ. κ. ἰ. ἐ. τ. κρ. ἐπεκτήσατο, τῶν μὲν ὠφελίμων καὶ πρωτουργῶν ἐγειρομένων, τῶν δὲ ἐχομένων διδόντων ἑτοίμως εἰς τὰ ἀντιλαμβανόμενα ἑαυτῶν). — Agmen recc. Platonicorum claudat*) Proclus, qui Theol. Plat. I, 28, p. 68 sq. consentienter cum Plutarcho Porum, quippe τὸ ὄν, τὸ πατρικὸν καὶ ἐφετόν, Peniam, tanquam ὕλην, τὸ μητρικὸν**) interpretatur et Timaei locum p. 50, D. comparat, quo eadem doctrina de materiae et divinae naturae commixtione oratione magis philoso-

*) Damascium περὶ ἀρχῶν p. 302 ed. Kopp. nostram fabulam attigisse, noli Stallbaumio credere: mysticam ille agit interpretationem eorum quae de Venere οὐρανίᾳ et πανδήμῳ deque Amoribus ex utraque ortis in Symp. p. 180, D, E. dicuntur.

**) Eadem ratione idem in Cratyl. p. 76, ed. Boisson. Πενίαν nuncupat ὑποδοχὴν vocabulo de materia usurpato a Plat. Tim. p. 49, A.

pha, quam fabulosa explicetur: qua ex re quominus concludamus, Proclum fabulam nostram cum Plutarcho ad genus cosmogonicum retulisse, et Amoris ortum atque conditionem de mundo ex materiae et divinae naturae congressu orto deque insito illi divinae originis desiderio interpretatum esse, alii impediunt in eius scriptis loci, quibus ille, quae de Amoris natura fabula narrat, *ψυχικῶς* dicta accepit. Veluti Comm. in Alcib. I, p. 190 ed. Creuzer. et Comm. in Euclid. lib. 3, p. 30 *πόρον*, sive mavis *Πόρον*, usurpavit *mentis et intelligentiae divitias*: priore loco sapiens *οἷον Πόρος* vocatur (vid. Creuz. l. c.), posteriore *ὁ ἐν ἡμῖν Πόρος scientiae copias* omnes in nobis gignere dicitur. Adde Procl. Comm. in Plat. Parm. ed. Cousin. T. 3, p. 249. *ἔνιοι — τοσοῦτον προκόπτουσιν, ὅσον αὐτοῖς ἀπόχρη πρὸς ἑαυτούς· ἄλλοι δὲ καὶ ἑτέρους ἀναμιμνήσκειν δύνανται τῆς τῶν πραγμάτων* (idearum) *ἀληθείας· διὸ καὶ θαυμαστότερον τουτονὶ κέκληκεν* (nim. Plato). *ἀνάλογον γὰρ ἕστηκεν οὗτος τῷ πόῤῥῳ* (leg. *Πόρῳ*), *πενίᾳ δέον μανθάνειν* (var. lect. *πενία δὲ τῷ μανθάνειν*: tu leg. *Πενίᾳ δὲ τὸ μανθάνειν*)· *μεταξὺ δὲ ἄρα ἀμφοῖν ὁ Ἔρως ὁ τὸν ἀτελέστερον συνάπτων πρὸς τὸν τελειότερον.* Nimirum Proclus pariter ut Plotinus et Porphyrius in hac de fabula nostra fuit sententia: *Πενίαν* esse materiam, *Πόρον* naturam divinam, rerum formas mente sua complexam et reapse *πλήρωμα εἰδῶν* (cf. Procl. in Alcib. I, p. 155 med., in Parm. T. 5, p. 216. Damasc. *περὶ ἀρχ.* p. 35 inf. et sq.), *Ἔρωτα* animum esse humanum, qui, cum ex natura divina delibatus inque materiam detrusus sit, penuriam suam explere studeat, et si se philosophando ad divinam naturam applicet, ex inopia mortali, quippe ipse quoque naturâ *πλήρωμα εἰδῶν* factus, pristinas naturae suae divitias recuperare possit. Vid. Procl. in Plat. Parm. T. 5, p. 146. 152. — Universa ista sententia cum mihi quidem prorsus placeat, multa tamen in recc. Platonicorum ratione fabulae explicandae reprehendenda esse censeo. Ac primum quidem illi ingenio magnopere abusi sunt in rimanda significatione *convivii* illius *deorum* (cf. Plotin. p. 299, D., Procl. in Timaeum. p. 6), *nectaris*, quo se Porus inebriaverit (cf. Plot. p. 296, F. 298, F. 299, A. al. Porphyr. de A. N. cap. 16, Procl. in Parm. T. 6, p. 13 et Theol. Plat. 1, 13, p. 36), denique *horti* illius *Jovialis* (cf. Plot. p. 298, F. 299, D.). Porro Plotinus in eo magnopere peccavit, quod explicandae fabulae praesidia petivit ex mysticis recc. Platonicorum de *Κρόνῳ* placitis (p. 293, B, E.) atque ex doctrina de duplici Venere in Plat. Symp. p. 180, D. (p. 293, B sq. 293 A sq. 768, B sq.): neque magis idem Platonis mentem assecutus est, quod quae ille de daemonum natura ex populari religione hausta fabulae praemisit, non tam ad illustrandam Amo-

ris naturam accommodata, quam per se serio dicta accepit, (v. p. 295, F sq.): jam capitalis eiusdem est error, quod Ἀφροδίτην interpretatur ψυχὴν, cui Ἔρως non solum tanquam ἀκόλουθος, sed originis necessitudine conjunctus sit. Nam si Ἀφροδίτη Platoni est divinum pulcrum (quod negari omnino nequit), porro si eadem est ψυχὴ, quae divini pulcri ideam complectitur, denique si Ἔρως illi natura conjunctus est, necesse est, divini pulcri naturam secum itidem conjunctam habeat, itaque esse omnino non poterit Ἔρως. Deinde fabula Amoris et Veneris ortum non ab iisdem parentibus repetit. Nam Porus quidem et Venus communi ex Jove et Metide ortu conjuncti sunt; Amor autem a Penia ex Poro conceptus in Veneris natalibus; itaque, et natalium tempore et parentum ratione diversus a Venere, hac una re cum Venere conjunctus est, quod qui natalis illius dies fuit, idem Amori procreando ansam dedit. Sed nimirum Plotinus temere confudit id quod est τὸ ἐξ αὐτῆς γεγονέναι et τὸ σὺν αὐτῇ γεγονέναι p. 293, A sq. Adde, quod Plotinus non satis cavit eam explicandi rationem, qua, quae de Amoris natura dicuntur, ad mundum et ad insitum illi desiderium rerum intelligibilium temere referri ipse l. supra cit. recte docuit. Vid. p. 668, A, B et pag. 434, (40) A. coll. Symp. p. 203, D. — Ex ecclesiae patribus fabulae explicandae periculum fecisse censendi sunt Origenes c. Cels. lib. 4, 39, p. 533 ed. Ruae. et qui eum secutus est, Euseb. P. Ev. 12, 11, p. 584, D. 585, A. praeterea etiam Ambros. de Bono Mortis cap. 5, p. 218, B. p. 219, A. Iste quidem fabulam ex male intellecta Plotini ratione interpretari et ex Cantico Cantic. cap. 8 init. derivatam docere conatur: illi hac fabula, mutatis nominibus, fabulam de πρωτοπλάσταις, a Platone ex Aegypto reportatam, narrari statuebant: Veneris enim natales intelligi primordia mundi pulcerrimi, Jovis hortum esse Edenis hortum, quam rem itidem attigit Ambros., Porum autem, Peniae insidiis circumventum, Adamum esse, serpentis dolo captum. Parvi autem est acuminis pervidere, patribus illis Jovis hortum ansam dedisse istius opinionis, reliqua, quae fabula narrat, aut pessime neglecta, aut perverse accommodata fuisse. Hac ex opinione, de qua bene monuit Clausen. *Apologetae* etc. p. 193 sq. quamque ex parte amplexus est Huet. Quaett. Alnet. lib. 2, cap. 11. Scholium profectum est, in cod. Monac. 408 fabulae exordio adscriptum: τὰ περὶ τοῦ ἀνθρώπου ἐν τῷ παραδείσῳ γεγενημένα τοῦ Μωσέως. Ceterum Origenis sententiam, l. c. propositam, temere et fraudulenter tanquam suam attulit Windetus libro doctissime compilato De Statu Vita Functor. ed. 3 Londin. p. 227. — Jam vero inter Haereticos non defuerunt, qui ex hac fabula multa interpretando haurirent. Nam, ut prorsus auctoritate historiae

illud caret, quod nonnulli ferunt, Ophitas nostra ex fabula *Metin* in sua figmenta transtulisse (vid. Baumgart. Crus. Dogm. Geschichte T. 1, p. 143), ita veri valde est verisimile, Valentinianos, quorum tota fere platonica fuit doctrina, semina doctrinae de πληρώματι divinae naturae, deque κενώματι contrariae materiae (vid. Neandr. Gnost. System. p. 106. 209. 226), deque anima, inter utramque constituta, ex hac ipsa hausisse fabula de Πόρῳ et Πενίᾳ deque filio Ἔρωτι. Qui de illa doctrina, cui reliqua Valentinianorum placita superstructa sunt, egregie explicuit, Baurus (vid. eius librum de Gnosi christ. p. 133. 142. praecipue p. 137 sqq. 463 sqq.) haec statuit libro laud. p. 143: «Diesen Grundtypus des Systems dürfen wir — mit Recht platonisch nennen. Es ist zwar derselbe Grundtypus, welcher auch in den übrigen gnostischen Systemen mit verschiedenen Modifikationen wiederkehrt, aber in keinem derselben liegt die ursprüngliche Verwandtschaft mit dem Platonismus so nahe, wie im Valentinianischen Systeme. Erinnert doch selbst das Verhältniss des Erlösers zur Achamoth und die leidensvolle Sehnsucht, die in beiden das die obere und untere Welt vermittlende Band ist, und beide zuletzt wie Braut und Bräutigam vereinigt, deutlich genug an den platonischen Eros, den Vermittler des Sterblichen und Unsterblichen, der in der Seele den Trieb nach dem ewig Schönen nie ruhen lässt, und sie dadurch zum ewigen Urbild ihres Wesens emporhebt.» — Vellem vir ingeniosissimus idemque doctissimus nostram cum Valentiniana comparasset fabula. Nunc recentiorum tantum Platonicorum locos attulit, ubi de πληρώματι divinae naturae sermo est, fontem neglexit, hanc nostram dico de Πόρῳ fabulam, unde Platonici pariter et Valentiniani sua de πληρώματι placita interpretando hausisse videntur. *) —

Venimus ad eos, qui inde a renatis literis explanare fabulam conati, aut ad eam explanandam aliquid afferre sibi visi sunt. Ac primo loco hic nobis laudandus est Marsil. Ficinus Opp. ed. Basil. T. 2, p. 1344 — 1349, nimirum in Commentario in Conv. Plat., orationis sextae, qua Diotimae oratio tractatur, capite VIImo, *(De Amoris ortu)*, capite VIIIvo *(In omnibus animis duo sunt amores, in nostris vero quinque)*, IXno *(Quae passiones amantibus insunt propter Amoris matrem)* et Xmo *(Quae dotes amantium propter amoris patrem)*. Multis autem incommodis laborat ista, quam Ficinus Thomae Bencii ore protulit, fabulae explicatio, non illa, quod exspectaveris, ex recc.

---

*) Scite Astius annott. ad Sympos. ed. Landish. p. 263. „Summa beatitudo dicitur *Πόρος*, *id quod seriorum scriptorum πλήρωμα est.*

Platonicorum fontibus hausta, sed ab ipso excogitata. Nam, ut mittamus illud, quod Veneris natales et deorum convivium putida diligentia explicare studuit, Jovem et Metin prorsus neglexit, primum quidem ad explicandam Pori, Peniae et Veneris significationem luminari sua philosophia temere abusus est, deinde doctrinam de duplici Venere et de quintuplici, si diis placet, amore humano in fabulae explicationem temere invexit: tum quae de passionibus, amantibus ab Amoris matre, i. e. a Penia innatis, docuit, non tam philosophum, quam medicum, de amoris pathologia explicantem decent, etsi illud laudandum est, quod Ficinus tota illa capitis IXni disputatione ad animi humani naturam ac vitam revocare studuit, quae de misera conditione ac sorte, Amori a matre Penia insita, fabula narrat: postremo quae capite Xmo disputantur, cum eodem nomine laudanda sint atque multa contineant, recte, ut videtur, et convenienter cum nostris explicata de dotibus Amori vel potius humano animo a patre Poro innatis, tamen temere admixtam habent putidam illam de magia dissertationem p. 1548: denique tota ista Ficini explicatio neque a firmo derivata est principio, neque ad certum perducta finem: nam neque Pori et Peniae naturam, neque Amoris ex Poro et Penia originem satis attendit aut explicuit, neque naturam ac conditionem Amoris ex commixta Pori et Peniae natura conflatam ita explanavit, ut ea cum universam Amoris i. e. animi humani vitam, tum duplicem eius rationem amandi, alteram pravam, bonam alteram patefieri ostenderet. — Cum Ficino conjungendi sunt Hieronym. Benivienus, qui Hymno in Amorem (ap. Stanlei. Hist. Philos. ed. Lips. 1711, p. 575) doctrinam de Amore, ipsius opinione hac fabula adumbratam, versibus illustrare conatus est, et Benivieni interpres, J. Picus Mirandulanus Dissertatione Platonica ap. Stanl. lib. cit. p. 566, ubi Veneris natales, deorum convivium, Jovis hortus et nectar, quo Porus inebriatus sit, putidissima diligentia explicantur, Amor natus ex Poro i. e. ex idearum copia, et Penia, i. e. ex natura informi, in angelum pulcritudinis desiderio incensum commutatur. Hanc suam et Benivieni sententiam, in qua praeter Pori et Peniae explicationem a recc. Platonicis profectam omnia perversa sunt, in brevius contractam his verbis complexus est J. Picus Mirandulanus Opp. ed. Basil. 1557, p. 97, in Conclusionibus secundum propriam opinionem in doctrinam Platonis, num. 21: «Cum dicit Plato, Amorem natum ex congressu Peniae et Pori in horto Jovis, in natalibus Veneris diis discumbentibus, nil aliud intelligit, quam in angeli mente tunc primum amorem i. e. desiderium pulcritudinis esse natum, cum in eo idearum splendor, imperfectius tamen refulsit.» Istud vero est, mysteria aperire

profitentem nova fingere mysteria! — Francisci Patritii quaenam fuerit sententia de significatu Pori et Peniae supra vidimus pag. 156 inf. ubi quomodo ille ab Aristotele doctrinam, fabulosis istis nominibus comprehensam, in usus suos conversam putaverit, retulimus. Fuit autem ista Patritii sententia eadem ac Plutarchi, Plotini aliorumque quos nos supra laudavimus recc. Platonicorum, atque hoc minus mirandum est, illi Aristotelicam de ὕλῃ doctrinam ex hac ipsa fabulae interpretatione profectam visam esse, quod Platonici in declarando Peniae et Pori nexu reapse usi reperiuntur formulis, Aristoteli in doctrina de ὕλῃ et νῷ, deque utriusque communione usitatis. Conferantur cum Aristot. Phys. Ausc. 1, 9, 3. Plutarchus de Is. et Osir. cap. 57. πενίαν δὲ τὴν ὕλην προςεῖπεν κτλ. et Plotin. 3, 6, 9, p. 299, F, G. — Prorsus extra oleas vagatus Leo Hebraeus, libro Dialogorum de Amore, dialogo tertio p. 328 sqq. ex vers. lat. Sarazeni, hanc pronunciavit sententiam: Platonem, cum Aristophanis fabula humani tantummodo amoris ortum atque parentes expresserit, amorem postea corporum omnium universitatem complectentem ex Penia et Poro quasi ex parentibus procreatum docuisse. Scilicet Leonem illud prorsus fefellit, quod, quum reliqui convivae Amorem in hominum pectoribus regnantem cum Amore cosmogonico temere confudissent, aut corporum finibus inclusissent, eundem Socrates cum reliqua oratione, tum hac ipsa fabula ex coelo devocasse eiusque coelestem ortum inque hominibus regnum ita descripsisse, ut, si bene ab iis habitus fuerit, ducem illum nobis ad vitam beatam exsistere doceret. Adde quae Plotinus contra eos, qui fabula nostra Amorem cosmogonicum celebrari putabant, loco supra pag. 137 a. med. laudato disputatum ivit. — Quae Campanella in Carminibus Philosophis (Poesie Filosofiche) ab Orellio nuper editis p. 51 sq. de amore cecinit, etsi non tam ex fabula nostra, quod eius interpreti visum, quam ex reliqua Diotimae oratione, et, si quaeris, maximam partem ex doctrina philosophi illius metaphysica fluxerunt, satis tamen ostendunt, egregium virum intimam humani animi naturam ac vitam eiusque tum indigentiam mortalem tum divinam opulentiam fabula nostra expressam censuisse. — Serrani haec fuit sententia, minime sane spernenda, annot. margin. ad Conviv. p. 202 ed. H. Steph. T. 3: mixtam ex mortali et immortali naturam animi humani hac fabula explicari: et ita intelligendum esse Amorem, ut divina animi vis ad res cognoscendas divine efficax Πόρου nomine significetur: inferiorum autem facultatum mortalem, humilem et a rerum cognitione alienam inopiam Πενίας appellatione notari: ex quibus parentibus cum natus sit Amor, idcirco eius mediam esse naturam inter peritiam et imperitiam, mortalitatem et immortalitatem.

Paulo altius si Serranus in explicanda Pori et Peniae natura rem repetiisset, vidisset, originem et naturam animi humani ex congressu materiae et divinae naturae derivari, vimque illam duplicem animi humani ex duplici et discrepante materiae ac divinitatis natura ortam fingi: sed quominus suam sententiam, Platonicorum recc. rationi maxime consentaneam, ipse satis tutam haberet, temere eo sese impediri passus est, quod quae de daemonum natura universe dicantur, suae rationi adversari putavit p. 169, quasi vero Plato iis quae de daemonibus, quorum ex genere Amor sit, Diotimam docentem induxit, daemonologiam condere studuerit, neque vero vulgarem de daemonibus opinionem sua de Amore doctrina corrigere, illustrare et sordibus suis purgare saluberrima accommodandi ratione conatus sit. Tu vid. Diss. nostram p. 74 sq. — Sydenhami ratio tota fere est Plotiniana, nonnullis in ea immutatis (v. c. conf. quae Sydenhamus de *Veneris natalibus* et *Jovis horto* curiosius fabulatus est), nonnullis etiam amplificatis: quo pertinet, quod quae de Amoris indole ac sorte dicuntur, ad humani animi naturam referre feliciter studuit, in eo tamen frustratus, quod, praeeunte Maximo Tyrio Diss. 24, cap. 9, singula illius descriptionis ad Socratem spectare opinabatur, quam quidem opinionem ante illum Ficinus Comm. in Plat. Sympos. p. 1336 ed. Basil. Opp. T. 2 a Christoph. Marsupino putidissima diligentia explicari fecit, eandemque nuper amplexum miror Trautmannum: De Fonte ac Fine Philos. Plat. p. 34. Tu, ut quid in ista opinione verum sit cognoscas, cf. Diss. nostram p. 104 sq. Ceterum illud praeclare factum a Sydenhamo, quod quae animo humano sub persona Amoris daemonis Plato tribuit, universae illi de daemonibus disputationi minime incongrua esse docuit comparato Timaei loco gravissimo, a nobis Dissert. p. 80 itidem ad partes vocato. —

Parum aut nihil in fabula viderunt Bisciola Hor. Subseciv. T. 2, lib. 3, cap. 1. («quod inopiae et copiae i. e. πενίας et πόρου filium Plato fingat, puto — vim significare voluisse malorum omnium ac bonorum effectricem: sive, quod qui amat, cum re amata fruitur, omnia se habere arbitretur, cum non fruitur, vel animum sibi et vitam deesse»), Huetius De Origine Fabular. Romanens., Hagae — Comit. 1682, p. 100 sq. (cui Porus s. Opulentia *objectum*, quod dicitur, scientiae, Penia s. Paupertas *potentia* sciendi s. ignorantia, ex quibus conjunctis qui efflorescat Amor *scientiae* sit *amor*, parentum naturae particeps), Massuetus in: Memoir. de Litter. T. 3, p. 13. (qui fabulam ad explicandam originem et vim discrepantium in amantibusaffectuum scite excogitatam censuit), Mendelsohn. Opp. philos. T. 1, p. 148 (qui amorem humanum ex

copia rerum pulcrarum et perfectarum, phantasiae *desiderio egeno* objecta, natum hac fabula Platonem finxisse statuit), Hartmannus Prolusione de Erote Socratis in Convivio, cuius sententiam cognoscas, si tanti est, ex Comm. Soc. Philol. Lips. II, 2. p. 230. Quae omnia quis non intelligit ab iis disputata fuisse, qui, cum forte fortuna in hanc fabulam incidissent, eam sibi explicandam sumserint, quomodo autem fabula, ista, quae illis placuit, ratione explicata, cum reliqua Diotimae oratione congrueret, minime curaverint: quasi vero Plato quocunque ei visum fuerit loco de quibuslibet rebus fabulas interponere consueverit! Sunt tamen isti omnes hoc nomine non vituperandi, quod nostram fabulam ex genere τῶν ψυχικῶν esse statuerunt; id quod miror non intellexisse Clodium et Schellingium: quorum ille libro, qui inscribitur Von Gott, T. 3, p. 837. amorem, quem theologia christiana docet, divinae naturae erga rerum universitatem fabula nostra adumbrari censuit, cui opinioni, antea quoque ab eodem in Minerva T. 3, p. 417 sq. prolatae, tota fabula prorsus adversatur: atque recte profecto J. Picus Mirandulanus Opp. ed. Basil. 1537, pag. 97: «Amor, de quo in Symposio loquitur Plato, in Deo nullo modo esse potest.» Adde qui in eandem sententiam sobrie disputavit Cudworth. Syst. Intell. p. 120 ed. Moshem. Schellingius vero in Brunone dialogo p. 188 ad nostram potissimum respiciens fabulam haec pronunciavit: «Es ist aber von ihr (von der Welt) keine Form ausgeschlossen, so dass sie unendlich fruchtbar an Formen, die Materie aber für sich selbst arm ist; daher die Alten, indem sie aus Reichthum und Armuth Eros gezeugt, durch diesen aber die Welt gebildet sein liessen, damit eben jenes Verhältniss der Materie zu der ursprünglichen Form angedeutet zu haben scheinen.» — In his uti, quod Peniam materiam esse statuit, verum est et recc. Platonicorum ex sententia pronunciatum; ita a vero prorsus adhorret, primum quod Orphicorum Amor cosmogonicus fabula nostra descriptus fingitur (conferantur, quae nos contra similem Leonis Hebraei sententiam disputavimus), deinde quod Schellingius, non contentus, Orphicum Amorem in fabulam nostram invexisse, fabulam de Amore ex Poro et Penia orto ex fonte Platonis ingenio antiquiore, ex Orphica nimirum doctrina, repetere ausus est, quasi vero aut ipsius fabulae nostrae ulla in Orphicis appareant vestigia, aut quasi, quae in iis cunque dicta sunt de Amore, ullo modo cum Platonicis istis congruant. Sed nimirum vir ille, philosophiae historia susque deque habita, hanc opinionem quovis pretio ubi inculcandam sibi sumsit. Vid. eius scriptionem de Diis Samothraciae p. 12, ubi quae optatur orphica origo nostrae fabulae miror quomodo probabilis sit visa Creuzero Symbol. T. 3, p. 574

et in Annal. Heidelberg. 1817, num. 47, p. 742. Tu vide infra scholium extremum ad pag. 64: *Jupiter maritus etc.* Ceterum, si, quae nuper Kappius libro De Origine Humani Generis, ad Platonis fabulam respiciens, de Penia in gentium historia pervagata passim disputavit (cf. p. 57, 81, 274 sqq.), pro Schellingianis sunt habenda, mutasse ille sententiam et totam quidem fabulam ad humanam naturam, Peniam vero ad inopiam eius cum moralem tum naturalem referre censendus erit: certe Kappius Peniae vocabulo huius rei tanquam symbolo usus reperitur ll. cc. Sed vel ista ratione verum a Schellingio non erutum puto: Plato enim Peniae nomine illam humano generi agnatam inopiam non significasse solum, sed causam simul eius aperuisse aperire voluisse censendus est, haud aliter ac Pori nomine non solum divinas facultates, humano animo insitas declarasse, sed causam simul earum a fonte quasi repetere conatus est. Atque hac parte laborant, quaecunque reliqui viri docti, qui nostra memoria fabulam interpretari susceperunt, ad explicandam interiorem eius doctrinam, praeclare ceteroquin excogitata, attulerunt, Herderus ap. Clodium in *Minerva* l. c. p. 418 sq. Jacobius Opp. T. 1, p. 527 sq. Schleiermach. Introd. in Symp. p. 568. Heusdius Init. Phil. Plat. vol. 1, p. 120, 179. Orellius ad Schulthessianam versionem Symposii germanicam p. 117. Stallbaum. ad Plat. Symp. 203, B. ann. p. 179, *b*, ed. 2dae, Hommel. Comment. de Symp. Plat. p. XLIV med., Richter. de Ideis Plat. p. 15 inf. Trautmann. de Fonte ac Fine Philos. Plat. p. 30 — 33. Schubertus in Historia Animi Humani ed. 2, p. 274, Baur. Symbolik und Mythologie II, 2, p. 244*), 245 et libro de Socrate et Christo p. 50 — 52, Ast. in Ephemm. Litt. Jenens. 1832, p. 438 extr. et p. 439*). Nimirum isti omnes, spretis

*) Hoc loco vir ingeniosissimus Amorem, quem nostra repraesentat fabula, i. e. animum humanum, rerum divinarum avidum, in fabula Apuleiana conjunctis Amoris et Psyches nominibus et personis expressum esse statuit. Utramque fabulam non solum comparavit, sed reapse eandem esse temere sumsit Huschkius Anal. Crit. in Anthol. Gr. p. 41 sq. cuius est partim vera, partim adulterina de fabula nostra sententia: „Detracto fabulae involucro, pater iste Amoris philosopho Pythagoreo aut Platonico diceretur *νοῦς* seu *λόγος*, mater *ψυχὴ*, (?) filius, ex hoc connubio ortus, Euripidi, in scena philosopho, est *Ἔρως μαινομένᾳ κραδίᾳ* Hippol. 1274, Xenophonti, qui communem habuit cum Platone auctorem (?), *Δαίμων μέγας, ψυχῇ ἀνθρώπου ἰσούμενος* Symp. 8, 1.“

**) Idem vir doctissimus fabulam antea quoque explicare aggressus erat annott. ad Sympos. ed. Landish. p. 263 et annott. ad ver-

profanis Wielandii nugis et calumniis (v. Aristipp. lib. 3, ep. 12, p. 175 sq. 181 sq. 184, 183 sq.), qui non magis quam eius simia Rückertus de amore universo, non vulgo sic nuncupato, ista fabula agi vidit, in hoc omnes consenserunt idque pulcre intellexerunt, nostra fabula universam humanae vitae conditionem declarari, animique humani indolem ea describi, altera ex parte miseram ac inopem omnis bonitatis, pulcritudinis, sapientiae, altera captam horum omnium desiderio perpetuo omnique industria machinaque adhibita sectantem illas divinae naturae copias neque tamen iisdem unquam plene perfruentem (quam totam sententiam prae caeteris illustrarunt Trautmannus, Baurus, et Astius); sed duobus tamen iidem nominibus fabulam integram ad intelligentiam non revocasse censendi sunt. Dum enim, quae de commixta *sorte* et *indole* Amoris, ex commixtis Affluo et Penia orti, fabula nostra Symp. p. 203, C. *ἅτε οὖν Πόρου καὶ Πενίας υἱὸς ὢν ὁ Ἔρως ἐν τοιαύτῃ τύχῃ καθέστηκε κτλ.* narrantur, ad animi humani naturam referre atque subjective, ut vulgo loquuntur, interpretari studuerunt, primum quidem eos fefellit, quod in iis, quae Amor a patre habere fingitur p. 203, D. *κατὰ δὲ αὖ τὸν πατέρα κτλ.* indoles eius anceps et tum ad virtutes tum ad vitia comparata depingitur (qua de re vid. Dissert. nostram p. 81 sqq.), deinde in eo peccarunt, quod quae de *parentibus* Amoris, de eorum *congressu*, deque ipso *Amoris ortu* priore fabulae parte Symp. p. 203, A. *πατρὸς δὲ — τίνος ἐστὶ καὶ μητρός; κτλ.* narrantur, tantum non neglexerunt, aut si quam eorum rationem habuere, male ea ac subjective potissimum interpretari conati sunt, (v. c. conf. Ast. annott. ad ed. Sympos. Landishut. p. 263 et ad vers. germ. p. 353 supr., Trautmann. de Fonte ac Fine Philos. Plat. p. 51), aut, si de objectiva interpretandi ratione cogitarunt, nil magnopere profecerunt. Verum enim vero quis non videt, ea, ex quibus Plato sortem et indolem Amoris derivat, curiosius narrata esse, quam ut omnino negligi possint aut subjectiva interpretandi ratione confundi cum iis, quae de *Amoris sorte atque indole* dicuntur? Nimirum Plato fabula nostra non sortem solum atque indolem Amoris descripsit (i. e. sortem atque indolem humani animi, media in indigentia mortalis vitae perpetua cu-

sionem Symposii german. p. 334 sq. Sed utroque loco ea attulit, quae ipse postea respuisse videtur: ac profecto prorsus a vero abhorret, quod posteriore loco eundem, quem fabula fingit, Amorem et humanae et divinae naturae insitum esse, Platonem docuisse finxit, nec non Peniam et Porum cum Heracliteo de *κόρῳ* et *χρησμοσύνῃ* placito comparavit, quam rationem miror suam fecisse Creuzerum Symbol. T. 3, p. 574 ed. 2.

pidine immortalis vitae ,cum beatitate conjunctae incensi), sed parentes etiam et causas declaravit, cur talis, qualis posteriore fabulae parte describitur, Amoris sors atque indoles facta sit (i. e. causas extra humanam naturam positas, ex quibus pendens et profectus, animus humanus talem, qualem ipse descripsit, sortem atque indolem nactus sit). Et quemadmodum, quae de Amoris sorte atque indole dicuntur, nemo recte interpretabitur, nisi qui ea ex subjectiva interpretandi ratione ad intimam humanae naturae ac vitae vim revocarit, ita necesse est, qui, quae de Amoris parentibus atque ortu dicuntur, recte aestimare cupit, omnia objective dicta accipiat de ipsa humani animi sorte atque indole; id quod pulcre intellexerunt recc. Platonici*), a nobis supra laudati. Sed quemadmodum recentioris aevi homines, exceptis quidem iis, qui recc. Platonicos secuti sunt, nimium haeserunt in explicanda posteriore fabulae parte, quae est de Amoris sorte atque indole, ita illi, ut amabant omnino γενεαλογίας ἀπεράντους, in priore parte explicanda nimium curiosi, posteriorem tantum non neglexerunt. Nos ambas fabulae partes pari cura amplexi sumus, et quae tum a veteribus, tum a recentioribus de tota fabula feliciter excogitata fuere, in unum omnia congesta, nostris rationibus stabilivimus atque explevimus, denique totius fabulae doctrinam et cum universa Platonis doctrina, cuius illa magna pars est, et cum reliqua Diotimae oratione, quippe quae ex hac fabula pendet, intime connexam esse ostendimus, quod quidem opus ut hactenus nemo suscepit, ita tota fabulae explicatio adhuc magis inchoata, quam absoluta fuit. Ipsine eam absolverimus, aliorum esto judicium.

*) Facilius profecto est, alto cum supercilio respuere, quaecunque recc. Platonici ad interpretandam Platonis doctrinam attulerunt, quam quid in eorum libris ad melius intelligendum Platonem pertineat discernere. Et ad fabulas quidem Platonis interpretandas quantum illi conferant, recte judicavit Boeckh. Annal. Heidelberg. 1808, p. 110: „In den Mythen sind die Neuplatoniker gerade am Wenigsten zu verschmähen, und ihre ganze Philosophie kann ein dialektischer Mythos genannt werden, so dass, wie in dem Poetischen die Idee dem Volke sich unbewusst zu einer sinnlichen Gestalt gleichsam krystallisirt hat, also hier die Begriffe auf eine geistigere Weise verkörpert und hypostasirt worden sind.

SCHOLIA.

P. 64. *Jupiter maritus, Consa uxor*] In hoc connubii figmento Plato theogoniae, a Hesiodo traditae, auctoritatem secutus est*): vid. Hesiod. Theog. vs. 885, 886, ubi verba *πλεῖστα θεῶν εἰδυῖαν ἰδὲ θνητῶν ἀνθρώπων* optime declarant, quid sibi velit *Μήτιδος* nomen; nimirum *Μῆτις* est summa sapientia, in divinam animata personam, quam, collato *Consi* dei nomine, latine dicas *Consam* a consilio. Quod autem casca Graecorum theogonia *Μῆτιν* Jovis uxorem finxit: eius rei alia ratio non fuit, quam quod summam sapientiam cum Jovis natura intime et tanquam connubio conjunctam esse sentiebaut, id quod veteres poetae simpliciter exprimere solebant *μητιέτα, μητιόεις* epithetis. Similis ratio, qua Jovi etiam *Θέμις* et *Δίκη* uxores adjungi solebant: qua de re scite Plutarchus ad Princip. Inerud. cap. 4: *εἰ — δεῖ ταῦτα εἰκάζειν, ὁ μὲν Ζεὺς οὐκ ἔχει τὴν Δίκην πάρεδρον, ἀλλ' αὐτὸς Δίκη καὶ Θέμις ἐστὶ καὶ νόμων ὁ πρεσβύτατος καὶ τελειότατος. οἱ παλαιοὶ οὕτω λέγουσι καὶ γράφουσι καὶ διδάσκουσιν, ὡς ἄνευ δίκης ἄρχειν μηδὲ τοῦ Διὸς καλῶς δυναμένου.* — Sed illi figmento de Consa, Jovis uxore, cum sensus jam satis exquisitus inesset, Plato eodem tanquam involucro aptissimo divini sui de mente divina placiti usus est ea ratione, quam nos supra p. 30 inf. simili quodam illustravimus. Et

*) Hac ex parte minus probanda Tschirneri (Fall des Heidenth. p. 448) sententia, cui fabula ista, inventa, ut ait, a Platone ad declarandam de bono et pulcro doctrinam, nuncupatur, „ein *rein* philosophischer Mythus, der zu dem öffentlichen Glauben in *gar keiner* Beziehung stand."

quod ille, μυθικῶς h. l. et in Phaedro significatum, in Philebo, uti, praeeunte Plotino p. 298, C, D., docuimus Dissert. p. 65, ἐπιστημονικῶς explanavit, idem Philo ἀλληγορικῶς docet, ubi divinam mentem et sapientiam Dei conjugem nuncupat. Vid. Dähnius: Geschichtl. Darstellung der jüdisch-alexandrin. Rel.-Philos., T. 1, p. 222. De geminis Gnosticorum μυθολογήμασι cf. Baur.: Die christl. Gnosis, p. 735 inf. Quod autem clar. Creuzerus (Annal. Litt. Vindobonn. vol. 56, p. 152) operae pretium facturum dixit, qui planum faciat, quomodo variae Gnosticorum sectae, in his Ophitae, ex parte respicientes fabulam nostram, Μῆτιν deam, in scenam a Platone productam, itidem ad partes vocaverint: certe Ophitae, quos auctore Hammero (Fundgruben des Orients T. 6, p. 15 sq. p. 78 sq.) illud fecisse statuit, ne commemorasse quidem unquam illam deam reperiuntur. Vid. Baumgarten-Crusius: Dogm.-Gesch. T. 1, p. 145 inf. Ceterum, ut eos quoque nihil dicere intelligas, qui totius fabulae nostrae fundamentum non in ipsius Platonis mente, sed in Orphica de Amore doctrina quaerendum esse existimant: tantum abest, ut genealogiae platonicae Amoris ex Poro a Penia suscepti vel levissimum in fragmentis Orphicis reperiatur vestigium, aut ut Pori et Peniae in iis uspiam sit facta mentia, ut, quae illic de Metide et Amore dicuntur, toto coelo differant a Platonicis. Vid. Procl. in Plat. Timae. ed. Basil. p. 156 supr., in Plat. Alcib. I, p. 66. 233, qui, si, quae tanquam Orphica venditavit, ullo modo cum Platonicis consentire vidisset, in summo, quo tenebatur, studio omnem Platonis theologiam ex Orphica derivandi, ad illa, tanquam ad fontem, haud cunctanter omnia haec nostra Platonica retulisset. Nunc illud tantum sibi sumsit, ut Amorem magnum daemonem, Orphei auctoritate, a Platone nuncupatum contenderet. Videbat scilicet, Amorem ab Orpheo suo ex Jove, a Platone ex Penia natum fingi, ab illo ἁβρὸν depingi (vid. Procl. ll. cc.), ab hoc contraria omnia Amori tribui.

P. 64. *Affluus, Consae filius*] *Porum* deum tantum abest, ut Plato, sicuti totam hanc fabulam a priscis theologis, et, si diis placet, ab Orpheo accepisse possit censeri, ut eius nullum uspiam in veterum scriptis reperiatur vestigium, unde eum ipse effinxisse videtur ex Penia, quam numinis loco a veteribus habitam constat. Vid. Aristoph. Plut. vs. 415 sqq. Philostr. Vit. Apoll. 5, 4, p. 19 ed. Olear. ubi Πενία et Τέχνη tanquam numina a Gaditanis coli solitae feruntur, ea nimirum ratione, quam hoc expressit versu Theocritus Id. 21, 1. Ἁ Πενία (male vulg. πενία), Διόφαντε, μόνα τὰς τέχνας ἐγείρει, — quo loco, uti illis verbis vs. 16, — Πενία σφιν ἑταίρα, temere usus est Luzac. Exercitt. Acadd. Spec. 2, p. 118 ad sollicitandam lec-

tionem vulg. ap. Theocr. Id. 21, vs. 14. οὗτος τοῖς ἁλιεῦσιν ὁ πᾶς πόνος, οὗτος ὁ πλοῦτος. Nam cum statueret, fabulam de Peniae et Pori connubio furtivo, Platonis narratione celebratam, viris literatis poetisque non incognitam ante fuisse, id quod temere statuit, magis etiam temere fecit, quod illo loco Πόρος loco vulgati πόνος scribi jussit, ne scilicet deesset, qui post Platonem ad eandem fabula respexerit. Et quod proxime insequentibus verbis οὗτος ὁ πλοῦτος suam conjecturam commendare studuit: aut pleonasmo Theocritum φορτικῶς usum statuit, si Πόρον *divitias* intellexit, aut, si Πόρον interpretatus est *quaestum*, ex quo πλοῦτος oriatur, ista ratio, licet magis accommodata Theocriteis (q. d. *his omnis eorum quaestus continetur*), Platonis tamen fabula minime commendatur, quippe in qua Πόρος, id quod ex contrariae potestatis nomine Πενίας *intelligitur*, non *quaestus*, sed *affluentiae* significationem habet, qua de potestate vocis vid. Stanlei. ad Demosth. in ed. Lond. Oratt. Gr. T. 9, p. 494 sq. Hinc nos Πόρον deum *Affluum*, haud aliter ac Μῆτιν *Consam* ἀρχαικῶς interpretati sumus, eadem ratione, qua praeeuntibus Varrone et aliis mythologis latinis, Jos. Scaliger et nostra memoria Godofr. Hermannus in interpretandis numinum graecorum nominibus usi sunt.

P. 65 inf. *Idcirco — expressa est.*] Apparet profecto, Platonem conjungendis istis numinibus, quae prae caeteris commemorat, μυθικῶς significasse intimam necessitudinem, quam haud uno loco bonum inter et pulcrum intercedere, διαλεκτικῶς docere conatus est. Vid. Stallb. Prolegomm. ad Plat. Phileb. p. XCII, Creuzer. ad Plot. de Pulcrit. p. 293 inf. sqq. p. 301 supr. p. 386 med. sq. Quod autem h. l. Venerem, quae nostra sententia est divinum pulcrum, Poro, i. e. divino bono, natu minorem finxit, tenendum est, quod Plato cum recentioribus Platonicis plerisque boni primariam, pulcri secundariam esse dignitatem voluit. Vid. Stallb. l. c. Creuz. ad Plot. de Pulcr. p. 293 — 298. p. 388. Ceterum de boni et pulcri specie in divina natura arctissime platonico placito conjuncta (vid. Dissertat. p. 65 supr.) conf. Creuzer. ad Plot. de Pulcr. p. 384 inf. sq. Primarius in hanc sententiam locus ap. personat. Hermet. Trismeg. Poemand. p. 29 ed. Paris. 1554.

P. 66 supr. *Divinitas enim etc. etc.*] Cf. Plutarch. De *EI* Delph. p. 393, A: Plotin. 1, 8, 2. p. 72, D.: 3, 2, 1, p. 255. B, C, D: 6, 5, 12, p. 670, A, B: 6, 7, 12, p. 705, B, C: Procl. in Plat. Parmenid. Opp. ed. Cousin. T. 5, p. 152: Id. in Plat. Alcib. I. ed. Creuz. p. 133 med.: Id. in Plat. Timae. lib. 2, p. 110 post med.: Damasc. de Princip. ed. Kopp. cap. 12, p. 55 .inf. sq.: Hermes. Trismeg. Poemand. p. 29 ed. Paris. 1554: Jo. Chrysost. Opp. ed. Savil. T. 2, p. 608: Gregor. Nyss. Opp.

ed. Paris. 1ma T. 2, p. 655, B, C. quibus locis divinitati tribuitur id quod est πλήρωμα et πληροῦν et πλῆρες.

P. 66 med. *Materia — extrema inopia.*] Vid. Plat. Timae. p. 50, D sqq. p. 51, A sqq. Conf. Philo ap. Daehnium: Geschichtl. Darstell. der jüd.-alex. Rel. Phil. T. 1, p. 186 sq. p. 270: Plutarch. de Is. et Osir. cap. 53 et cap. 57. πενίαν δὲ τὴν ὕλην προςεῖπεν κτλ. ubi in ipsa fabulae nostrae explicatione, uti priore loco, ad Aristotelicam de materia doctrinam Phys. Ausc. lib. 1, cap. 9, §. 3. Plutarchum respicere minime obscurum est. Porro conf. Plotin. 1, 8, p. 75, E, F. (quo loco quin verbis πενία παντελὴς ad Platonis fabulam respiciatur, dubitari nequit): 2, 4, 14, 15, 16, p. 168 — 170, praecipue p. 169, G, 170, A. ubi πενία materia nuncupatur: in ipsa fabulae explicatione 3, 6, 9, p. 299, F, G. et 3, 6, 14, p. 317, A — F. quorum locorum priore ad Aristot. l. c., altero ad Plat. Timae. l. c. respicitur. Add. Jamblich. ap. Simplic. in Aristot. Categ. loco supr. p. 158 allato: Procl. Inst. Theol. cap. 72 med. p. 112 ed. Creuz. cuius conferenda annotatio: Damasc. περὶ ἀρχ. ed. Kopp. p. 61 (51): Nicol. Methon. Refut. Procl. Inst. Theol. ed. Voem. p. 81 inf. Notavit hanc doctrinam Basil. Magn. Hom. in Hexaëm. II. p. 19, D. 20, A. — Pertinet autem haec annotatio etiam ad illa nostra pag. 67 supr. *communionem vero illam — participem finxit.*

P. 66 med. *ipsum malum materia est*] Cf. Plotin. 2, 4, 16, p. 169, F, G, p. 170, A. in ipsa fabulae nostrae explicatione: adde eundem 1, 8, 10, p. 79, D, E. 5, 9, 10, p. 562, C, p. 563, A.

P. 66 inf. *Nam si mali etc. etc.*] Cf. Plotin. Enn. I, lib. 8, praecipue p. 79, F.: id. 3, 2, 5, p. 293, C.: Simplic. in Epict. Enchir. cap. 34, p. 171 ed. Salmas.: Basil. Magn. T. 1, p. 16, D. 264, B, C. T. 2, p. 78, A. Adde G. Thomasii *Origenem* p. 177. 299. et Krabinger. ad Greg. Nyss. de Anima p. 201.

P. 67 med. *Origo et fons* — P. 68 supr. — *obnoxia sunt.*] Cf. Aristot. qui fertur de Mundo cap. 6, §. 4. 5. p. 206 sqq. ed. Kapp.: Plutarch. de Is. et Os. cap. 59: Plotin. 3, 2, 2, p. 255, E sq. 3, 2, 5, p. 259, C, D: Maxim. Tyr, Diss. 41, 4, p. 487 sq. οὐρανοῦ καὶ γῆς κτλ.: Simplic. in Epict. Enchir., ed. Salmas. cap. 1, p. 9 sqq. cap. 34, p. 175 med. sqq.: Boeth. De Unit. et Uno, p. 966 inf. et sq. ed. Basil. 1546.

P. 67 inf. *Et per coelum quidem etc. etc.*] Confer quos laudavimus ad pag. 68 inf. ubi ista de μεθέξει doctrina *pulcri* exemplo uberius illustratur.

P. 68 supr. *Et haec quidem etc.*] Cf. Philo T. 1, p. 555 ed. Mang. ἀλλ' ἔδει γε κτλ.: Plutarch. de *EI* Delph. p. 392, A. πᾶσα θνητὴ φύσις κτλ.: Plotin. 3, 2, 2, p. 255, E, F. 3, 2, 5,

p, 239, C, D. 5, 9, 10, p. 562, C. 6, 7, 15, p. 708, A, B: Julian. Imper. Orat. 5, p. 175, B, quorum primus locum ex Platonis Theaeteto, a nobis statim post allatum, totum itidem attulit, tertius secundo et quarto loco ad Platonis non laudati verba respexit, quartus et ad verba Platonis respexit, et auctorem simul laudavit. Add. Simplic. in Epict. Enchir. cap. 34, p. 176 ed. Salmas. διὰ δὴ τοὺς λογισμοὺς τούςδε κτλ. Pertinet huc etiam locus ille ex Ciceronis libro de Senect. cap. 21, ubi *terra* nuncupatur *locus divinae naturae aeternitatique contrarius*, quae πλατωνικωτάτη est sententia et a nobis haud semel Dissertatione nostra ad partes vocata.

P. 68 med. *deformis et pulcritudinis vacua est*] Cf. Plotin. 2, 4, 16, p. 170, A: Jamblich. de Myst. 1, 11, p. 22. ubi ἡ περὶ τὴν ὕλην στέρησις τῶν καλῶν commemoratur: Procl. in Alcib. I. ed. Creuz. p. 318 supr. ubi cf. annott. et adde, qui hanc doctrinam notavit, Basil. Magn. Hom. in Hexaëm. 2, p. 13, B, C = p. 17 et sq. T. 1 ed. nov. Paris.

P. 68 med. *Inopia tantum non mortalis — dicuntur.*] Vid. p. 203, E: οὔτε ὡς ἀθάνατος πέφυκε οὔτε ὡς θνητὸς, ἀλλὰ τοτὲ μὲν — θάλλει τε καὶ ζῇ, ὅταν εὐπορήσῃ, τοτὲ δὲ ἀποθνήσκει, πάλιν δὲ ἀναβιώσκεται διὰ τὴν τοῦ πατρὸς φύσιν.

P. 68 inf. *Omnia, quaecunque etc. etc.*] Cf. Maxim. Tyr. ed. Davis. 2dae, Diss. 17, 11, p. 203 med., Diss. 27, cap. 7 extr. et cap. 8, p. 239 inf. sq. 41, 4, p. 489: Aristid. Quintil. de Musica ed. Meib. p. 124, cuius verba nos in Basilio Plotiniz. p. 59 ad partes vocavimus.

P. 69 med. Duo ad quos provocamus loci reperiuntur Symp. p. 203, C. p. 204, B.

P. 69 inf. *in Phaedro*] Vid. p. 246, E sq. coll. p. 246, B.

P. 69 extr. *in Timaeo*] Vid. p. 30, B. ubi Stallbaum. p. 121 sq. Add. Synes. Hymn. 3, vs. 564 sq. Boeth. Consol. Philos. lib. 3, carm. 9. *Tu triplicis etc.* et Herm. Trismeg. Poemandri loco, a Vallino ad Boeth. l. c. p. 146 ed. Hack. allato.

P. 70 supr. *apparet, — Affluì nomine naturam — divini boni — Platonem significasse*] Conf. Plutarch. loco supra pag. 137 supr. laudato, ubi verba ista τὸ πρῶτον ἐραστὸν καὶ ἐφετὸν καὶ τέλειον καὶ αὔταρκες, quibus quid Pori nomine declaratum existimet, Plutarchus declarat, necessario comparanda sunt cum Platonicis Symp. 204, C. ἔστι τὸ ἐραστὸν τὸ τῷ ὄντι καλὸν καὶ ἁβρὸν καὶ τέλεον καὶ μακαριστόν. quibus philosophus διαλεκτικῶς jam ipse declarare studet, quod ante μυθικῶς ita significarat, ut Amorem Pori patris divitiarum et beatitatis avidum et cupidum depingeret. Nam cum ipse Ἔρωτα, quem fa-

bula repraesentat, interpretetur τὸ ἐρῶν p. 204, C. i. e. id quod in animo humano amandi vim habeat, sponte patet, illud quod τῷ ἐρῶντι respondet, τὸ ἐραστὸν, reapse diversum non esse a fabuloso Πόρῳ, et quae de ἐραστῷ l. c. praedicentur, eadem Πόρου personam μυθικῶς declarare.

P. 70 supr. *mortalis Inopiae*] Cf. Schol. ad p. 68 med.

P. 73 inf. *lepidissimae illius eiusdemque gravissimae in Socrate εἰρωνείας.*] Jacobius Opp. T. 6, p. 159: «Nur die Gedanken, die der tiefste Ernst hervorgebracht und vollendet hat, nehmen eine heitere Form an. Sie machen den Menschen fröhlich. Diess ist das Geheimniss der socratischen Ironie. Darum ist auch der Sinn für wahrhaft sokratische Ironie so selten.»

P. 73 inf. *Scilicet eodem callido artificio* — pag. 74 supr. — *vimque et laudes celebravit.*] Confer nostra pag. 96 inf. *principia eorum, quae — bonorum et malorum*, et vide Trautmann. De Fonte ac Fine Philos. Platon. p. 15 med. p. 21. p. 51 sq. qui, qua parte Phaedrus et cognatus sit cum Convivio, et ab eodem differat, pulcre explicuit. Ceterum quam nos p. 73 infr. et sq. verbis allatis proposuimus sententiam, in eandem incidit Baurus: Sokrates und Christus, p. 51 supr. «Dieser Eros (nim. de quo tanquam daemone Diotima loquitur) ist nur die mythische Personification jener Liebe, welche Plato im Phaedrus als den innern Zug der menschlichen Natur zum Göttlichen schildert.»

P. 75 supr. *saluberrimam istiusmodi accommodationem* —] Egregie de hac re disputat Baurus: Sokrates und Christus p. 95, 96. ubi nostra quoque fabula eodem nomine laudatur.

P. 75 supr. *qui — excitaverunt*] Hoc argumentum uberius illustrabimus Commentario in Platonis Symp. p. 202, E, p. 203, A.

P. 75 med. *qui — dictitant*] Videsis Serranum in Plat. Opp. ed. H. Steph. T. 3, p. 169. Tiedem. Argumm. Dialogg. Platonicc. p. 360 inf. et sq. et in libro: Geist der spekulat. Philosophie, T. 2, p. 147.

P. 76 inf. *vim et naturam eius rationis, qua, quae de daemonum natura* (sic leg. pro *Amore) dicta sunt, ad Amoris naturam accommodantur* —] Illam rationem pulcre perspexit Baurus: Sokrates und Christus, p. 51 supr. ubi, enarratis iis, quae de daemonum natura universe dicta sunt Symp. 202, E, 203, A. ista verbis illis εἷς δὲ τούτων ἐστὶ καὶ ὁ Ἔρως ad Amorem ita accommodari docet: «Da dieser Eros nur die mythische Personification jener Liebe ist, welche Plato im Phädrus als den innern Zug der menschlichen Natur zum Göttlichen schildert, so kann das hier *objectiv* Dargestellte nur *subjectiv* verstanden werden.» — Adde Heusdium Init. Philos. Plat. vol. 1, p. 179

inf. et sq. in *Schola Socratica*, vers. german. T. 1, p. 119 inf. Trautmann. De Fonte ac Fine Philos. Plat. p. 53.

P. 77 supr. *Animus enim etc. etc.*] Cf. Plotin. Enn. 4, 1mo libro toto, 4, lib. 7, cap. 13. Enn. 4, lib. 8, cap. 5 et 4: Macrob. in Somn. Scip. lib. 1, cap. 13, p. 60 med. sq. ed. Bipont. Adde quae attulimus in Basilio Plotinizante p. 58.

P. 78 extr. *Cum omnis igitur animus mundi etc. etc.*] Cf. Plotin. 3, 4, 3, p. 284, G. p. 285, A: 4, 9, 4, p. 472, A—E: 4, 9, 7, p. 475, A—E: 4, 9, 8, p. 476, A, B, C: 6, 4, 14, p. 657 B. ἡμεῖς δὲ, τίνες δὴ ἡμεῖς; κτλ.: Hierocl. in A. C. ed. Needham. p. 59. πρὸς ὃ τὴν ἀναλογίαν ἔχει τὸ — ἀνθρώπινον γένος κτλ., p. 180 μεσότης δὲ τῶν οὕτω διεστηκότων ὁ ἄνθρωπος ἐνορᾶται κτλ. et paullo post, ὡς γὰρ ἔσχατος τῶν λογικῶν γενῶν κτλ., p. 188. μέση — οὖσα ἡ τοῦ ἀνθρώπου οὐσία κτλ.: Simplic. in Epict. Enchir. cap. 1, p. 12 sq. αἱ μὲν πρῶται ψυχαὶ κτλ.: cap. 54, p. 180 ed. Salmas. ἡ δὲ ἀνθρωπίνη ψυχὴ κτλ.: personatus Hermes Trismeg. de Nat. Deor. ap. Apulei. Opp. ed. Bip. T. 2, p. 289 med.: «Multiformis variaque generis humani species» etc. etc. p. 294 inf. «unde efficitur» etc. etc. Nemes. de N. H. cap. 1, p. 13 ed. Plant. extr. et sq. = p. 43 ed. Matth. extr. et sq.: Euseb. Praep. Ev. 7, 18 p. 332, C, D: Nicol. Methonensis loco ad pag. 79 med. extrema annotatione laudata. — Quod nos pag. 79 supr. dicimus: *est omnino animus humanus in medio collocatus etc.*: tenendum est, idcirco philosophos platonicos ἀμφίβιος voce uti in declaranda humanae natura proprietate. Vid. Plotin. 4, 9, 4, p. 472, E: Hierocl. in A. C. p. 180: «ὁ ἄνθρωπος — ἀμφίβιός τις ὢν καὶ ἔσχατος μὲν τῶν ἄνω, πρῶτος δὲ τῶν κάτω, p. 188 — τὸ τῆς φύσεως (nim. *humanae*) ἀμφίβιον —: Priscian. Lyd. περὶ φαντασίας p. 287 ed. Basil. τὸ ἀμφίβιον τῆς μεριστῆς ζωῆς. Adde comparationem, qua Simplicius utitur l. c. p. 180 inf. — Denique de verbis p. 79 med. *vitale quoddam vinculum*, praeter Simplicium lib. laud. p. 13 supr. αἱ — τῶν ἀνθρώπων ψυχαὶ πρὸς σύνδεσμον ὑποστᾶσαι τῶν τε ἀεὶ ἄνω καὶ τῶν ἀεὶ κάτω μενόντων — et p. 180 supr. σύνδεσμος ζωτικὸς γινομένη (*anima*) τῶν τε ἄνω καὶ τῶν κάτω, sigillatim confer Nemes. de Nat. H. cap. 1. l. c. et p. 14 supr. ed. Plant. = p. 44 supr. ed. Matth. et p. 26 med. ed. Pl. = p. 63 inf. ed. Matth.: Jo. Chrysost. loco ad pag. 79 med. extrema annotatione laudato: Procl. in Plat. Timae. Comm. lib. 5, p. 339 supr. *in homine* τὸ μὲν θνητὸν νοῦ μεταλαγχάνει, τὸ δὲ νοερὸν θανάτου. καὶ τὸ ὅλον γίνεται (*homo* nimir.) θαῦμα, ὥς φησιν (*Plato* nim.) ἐν Νόμοις (Lib. 1, p. 644, D.), ἐκ θνητοῦ καὶ ἀθανάτου, καὶ νοεροῦ καὶ ἀνοήτου συντεθέν. οὗτος γὰρ ὁ φυσικὸς δεσμὸς (male vulg. θεσμός) θάνατος μέν ἐστι τῆς ἀθανάτου ζωῆς, ζωοποία δὲ τοῦ θνητοῦ σώματος: personatus Her-

mes Trismeg. ap. Apulei. l. c. p. 289 extr.: «omnia, quibus se necessarium esse coelesti dispositione cognovit, nexu secum caritatis adstringit.» —

P. 79 supr. *qui — cognationem;*] Conf. Demetr. Cydon. De Contemn. Morte, ed. Basil. 1562, p. 47 inf. ubi *ζώων πενία* hominum solertiae in immensum variatae opponitur: p. 51 med. *ἡ δὲ φύσις πτωχή τις οὖσα καὶ ἄπορος, πρὸς ἓν μόνον αὐτή τε ὥρισται, καὶ τὰ ταύτῃ δουλεύοντα ζῶα ἐνδεᾶ καὶ δοῦλα καθίστησιν μικροῖς ἐγκλείουσα νόμοις.*

P. 79 med. *Duplex ergo et gemina est humana natura etc.*] De universa sententia cf. Plutarch. de Virt. Mor. cap. 3 sub init. *διττὸς ἡμῶν ὡς ἀληθῶς ἕκαστός ἐστιν καὶ σύνθετος κτλ.* et quos nos in eandem sententiam laudavimus Annott. ad J. Glycae opus De Vera Syntaxeos Ratione ed. Bernens. principis p. 94 inf. et sq. De singulis, quibus hanc sententiam explicuimus conf. Plotin. 4, 9, 8, p. 476, A—D: Porphyr. ap. Euseb. Praep. Ev. 11, 28, p. 556, A (ubi leg. *περικειμένου* — pro *προκειμένου — πλάσματος*), B: Maxim. Tyr. ed. Davis. 2dae Diss. 4, 6, p. 37. *ἔχει μὲν γάρ, ἔχει νοῦν καὶ λόγον κτλ.* Diss. 12, 4, p. 133. *ἡ τοῦ ἀνθρώπου ψυχὴ κτλ.*: Hierocl. in A. C. ed. Needham p. 98. *(ὁ ἄνθρωπος) αὐτὸς ἔσχατος ὢν κτλ.*: Julian. Imperat. Or. 4, p. 142, D. *ταῦτα μὲν οὖν περὶ τὸν ἄνθρωπον οὐχ ὧδε ἔχει· διττὴ γάρ ἐστι μαχομένη φύσις κτλ.*: personatus Hermes Trismeg. de Nat. Deor. ap. Apulei. Opp. ed. Bipont. T. 2, p. 292 inf.: «Itaque hominem conformavit» etc. etc. p. 293 inf. «Quicunque autem ex duplici naturae suae conformatione» etc. etc. Gregor. Naz. Or. 10, p. 175, B. *τί ἐστιν ἄθρωπος; — κτλ.* Or. 16, p. 243, B. *αὐτοὶ μεγιστοί τε ὄντες καὶ ταπεινότατοι κτλ.* Or. 38, p. 618, C, D: Euseb. Praep. Evang. 6, 6, p. 246, A, B, ubi homo *τὸ διφυὲς τοῦτο βλάστημα* nuncupatur, p. 247, A, B: idem ibid. 6, 18, p. 332, B: Nemes. de N. H. cap. 1, p. 11 ed. Plant. = p. 59 ed. Matth.: Jo Chrysost. ed. Savil. T. 6, p. 663. *διπλοῦν τοῦτο τὸ ζῶον, ὁ ἄνθρωπος λέγω κτλ*: Nicolaus Methon. Refut. Instit. Theol. Procli p. 133 ed. Voemel. *τούτων μέσος ὁ ἄνθρωπος γέγονε κτλ.* Ex recentioribus confer Jacobium Opp. T. 5, p. 297 et Youngium: Klagen od. Nachtgedanken, T. 1, p. 19 inf. — 23 ed. Ebert. qui mortalem deum i. e. hominem naturamque eius ancipitem ita descripsit, ut eum cum Platone in fabula nostra aemulari voluisse arbitreris. Adde Lamartinum carmine De Homine isto loco: «Borné dans sa nature, infini dans ses voeux, L'homme est un dieu tombé» etc. — De nostris istis: *neque mentis et rationis expers* sqq. sigillatim cf. Plutarch. De Genio Socr. cap. 22. *ψυχὴ πᾶσα νοῦ μετέχει κτλ.*

P. 79 inf. *in eiusque* (corporis) *flumen immersa* —] Vid. Plat. Timae. p. 43, A sq. et confer Plutarch. De *EI* Delph. p.

392 totâ, praeterea eos, quos nos *Basilio Plotiniz.* p. 20 sq. in eandem sententiam laudavimus.

P. 79 inf. *Quae autem naturae humanae vis etc. etc.*] Cf. Plutarch. De Genio Socratis cap. 22, p. 591, C. *μίγνυται δ' οὐ πᾶσα ὁμοίως κτλ.*: Plotin. 3, 4, 3, p. 285, A. *μένομεν τῷ — ἄλλῳ παντὶ νοητῷ ἀνθρώπῳ ἄνω.* 4, 1, p. 361, A, B. *πῶς οὖν καὶ ἀμέριστος; κτλ.* 4, 9, 4, p. 472, E. *ἔχει γάρ τι ἀεὶ οὐδὲν ἧττον ὑπερέχον τι.* 4, 9, 8, p. 476, A, C. 6, 4, 14, p. 657, C. *οὐδὲ γὰρ οὐδὲ νῦν ἀποτετμήμεθα.* quorum locorum plerisque, et praesertim plutarcheo, respicitur ad Plat. Timae. p. 43, A. *αἱ δὲ εἰς ποταμὸν ἐνδεθεῖσαι κτλ.* p. 44, D. p. 90, A. quo ipso loco nos in insequentibus usi sumus.

P. 80 supr. *Plato in Timaeo*] De Platonis loco conf. Gatak. ad M. Anton 2, 13. 3, 16. 3, 27. Sydenham. ad Sympos. cap. 23, 4, ed. Wolf. 1mae p. 75, Stallbaum. ad Timae. p. 339—. Procl. in Alcib. I, p. 46 supr. p. 73 inf. mentem *δαίμονα* a Platone *κατ' ἀναλογίαν* tantum nuncupari voluit, neque audiendos censuit, qui daemonem reapse eundem et *ψυχὴν λογικὴν* esse statuant: nimirum in eo erat errore, ut Platonem daemonologiam vulgarem pro certa et confessa habuisse statueret, neque videret, philosophum illam doctrinam, in scrutandis rebus superis versantem, e coelo devocasse et ad sua placita de animi natura divina accommodasse: contra illum haec sua placita ad vulgarem de daemonibus opinionem accommodasse opinabatur eadem perversitate, qua quae de Amore fabula nostra narrata sunt, non reapse sed ex parte tantum et similitudine quadam de amore humanae naturae insito dicta accipi posse Plotinus opinabatur, nimirum quod, quae de daemonibus fabulae praemissa sunt, a Platone serio dicta, non ad illustrandam Amoris i. e. animi humani naturam *δαιμόνιον* accommodata fuisse persuasum habebat. Tu vide *Scholl.* p. 139 inf. sq. p. 144 supr.

P. 80 supr. *Quamobrem autem animus — intelligetur.*] Egregie Plotinus in ipsa fabulae explicatione 3, 5, 4, p. 294, E. *ἆρ' οὖν ἑκάστη ψυχὴ κτλ. — καὶ ἄρα ὁ ἔρως οὗτός ἐστιν ὁ δαίμων, ὅν φασιν ἑκάστῳ συνέπεσθαι, ὁ αὐτοῦ ἑκάστου ἔρως;* 3, 5, 4, p. 295, B: 3, 5, 6, p. 296, C: 3, 6, 9, p. 300, A. *οὕτω τοι ὁ ἔρως ὑλικός τίς ἐστι καὶ δαίμων οὗτός ἐστιν ἐκ ψυχῆς, καθόσον ἐλλείπει τῷ ἀγαθῷ, ἐφίεται δὲ γεγεννημένος.**) Huius rei rationem interiorem ex parte perspexit auctor dissertationis *De daemonologia Graecorum* in *Allgem. Schulzeit.* 1833, Part. 2. num. 1 sqq. qui num. 3, p. 20, breviter enarrata fabula de daemoni-

*) Est tamen veritas Plotini locis excitatis commixta cum errore eo, quem supra notavimus p. 139 inf. et sq.

bus in Politico p. 271, D. 272 E, ita loqui pergit: «Diesem Mythus nahe verwandt (?) ist die herrliche Darstellung im Gastmahl: zwischen Göttern und Menschen stehend, sind sie Dolmetscher zwischen beiden, und befördern jeden geistigen und wissenschaftlichen Verkehr mit dem Himmlischen, vor allen Eros, *das Element unseres Strebens nach physischer und sittlicher Unsterblichkeit.* Doch selbst hier wird ein mythisches Gewand bemerkt; und so bleibt allein der Satz beharrlich und gültig, dass *die höchste Kraft der Seele selber* als ein *δαίμων* von Gott dem Menschen eingepflanzt sei, *und eben dadurch unablässig ihn an seinen erhabenen Ursprung erinnere*; dass ein solcher Dämon, sogleich mit der Geburt jedem als Führer beschieden, auch in das andere Leben ihn begleite (Timae. 90, A. Rep. X, 620. Phaedo. 107, D.).»

P. 80 med. *animus — in ipsa inopia haerens*] Conf. quae Plot. 3, 5, 7, p. 297, A. et Porphyrius locis supra p. 157 med. sq. laudatis nostram fabulam explicantes disputarunt. Add. Macrob. in Somn. Scip. lib. 1, cap. 21, ed. Bipont. p. 113 med.: «Haec ergo regio» etc. etc. Athenagor. de Resurrect. p. 124. *ἡ ψυχὴ συνήρμοσται τῇ τοῦ σώματος ἐνδείᾳ καὶ τοῖς τούτου πάθεσι,* p. 130. *τὴν διάλυσιν τοῦ σώματος, ὡς ἑπομένην τῇ μετ' ἐνδείας καὶ φθορᾶς ζωῇ, περιμένομεν*: Euseb. Dem. Ev. lib. 10, p. 465. *τοῖς τὸ γένος θνητοῖς ἀνθρώποις καὶ πτωχοῖς ὁμοιωθεὶς* (*Christus* nim.): Gregor. Nyss. Opp. ed. Paris. 1[mae] T. 1, p. 286, C. *ἐπτώχευσεν ἡ φύσις* (nim. *humana*) *τοῦ τοιούτου κτήματος, τῆς ζωῆς λέγω, καὶ πένης ὁ ἄνθρωπος ὑπὸ τοῦ κλέπτου ἐγένετο, τὴν θείαν συληθεὶς εὐλογίαν*: p. 297, D. *οὐκ ἂν εἰς ἐπιθυμίαν ἔλθοιμεν τῶν ἀληθινῶν ἀγαθῶν, εἰ μὴ τὴν ἐν τούτοις ἑαυτῶν πτωχείαν κατανοήσωμεν κτλ.*: p. 783, C. *ὁ τὸ ἀληθῶς ἀγαθὸν κατιδεῖν ἰσχύσας, ἔπειτα τὴν πτωχείαν τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως κατανοήσας, ἐν συμφορᾷ πάντως τὴν ψυχὴν ἕξει* (D.), *τῷ* (leg. *τό*) *μὴ εἶναι ἐν τῷ ἀγαθῷ ἐκείνῳ τὸν παρόντα βίον πένθος ποιούμενος*, T. 2, p. 655, B. al. (est enim pater iste multus in inculcanda ista humanae naturae indigentia).

P. 80 inf. *Semper enim* — p. 81 med. — *cum pulcro conjunctae.*] Vid. Plotinus in ipsa fabulae interpretatione 3, 5, 7, p. 297, A, B, C (ubi si loco vulgati *εὐμήχανον* reponas *ἀμήχανον*, disparebunt dubia, a Creuzero Annal. Vindob. vol. 56, p. 154 excitata), D: 3, 5, 9, p. 299, E, F. *ἔστι δ' οὗτος κτλ.* Porro conf. Greg. Nyss. de Anima et Resurr. p. 225, B = p. 86 ed. Krabing. Est autem doctoris huius ecclesiastici egregia laus, quod scriptis suis haud uno loco gravissime explicuit de innata humanae naturae indigentia boni, pulcri, omniumque omnino divinorum, deque insito humanitati desiderio, quo, licet haerens in mortali et finita natura, semper tamen rapiatur ad

studium istius inopiae divinae et infinitae naturae copiis explendae. Eandem doctrinam, quam Platonis fabula uno intuitu spectandam proponit, quamque reliqua Diotimae oratio διεξοδικῶς et διαλεκτικῶς enarrat, innumeri ex recentioribus viri egregie ratione dialectica explicare conati sunt, e quibus h. l. laudasse sufficiet Ancillonium in: Mélanges de Litterature, T. 1, p. 10 sq. 12 sq., et in: Glauben und Wissen in der Philosophie, p. 131 — 132, Hasium in Gnosi, T. 1, p. 136 — 183, et fabulae nostrae interpretes, Schleiermacherum, Trautmannum, Baurum, alios, supra laudatos pag. 146.

P. 81 supr. *cum opulentia et integritate* —] nim. divinae naturae, cuius divitiis exciderat. Confer Empedoclis versum ap. Plutarch. de Exil. p. 607, E. et quae Macrob. in Somn. Scip. lib. 1, cap. 11, ed. Bip. p. 56 supr. in allegorica interpretatione Ditis de veris divitiis naturae humanae monuit. Adde, quae Porphyrius locis supra pag. 137 med. sqq. laudatis in fabulae nostrae interpretatione de Pori significatu docuit.

P. 81 med. *contra si — homo.*] Vid. Sympos. p. 212, B. *πεπεισμένος — οἷός τ' εἰμί.* in quibus praesertim ista attende: *τούτου τοῦ κτήματος* (nim. beatitatis sempiternae) *τῇ ἀνθρωπείᾳ φύσει συνεργὸν ἀμείνω Ἔρωτος οὐκ ἄν τις ῥᾳδίως λάβοι. διὸ δὴ ἔγωγέ φημι χρῆναι πάντα ἄνδρα τὸν Ἔρωτα τιμᾶν, καὶ αὐτὸς τιμῶ τὰ ἐρωτικὰ καὶ διαφερόντως ἀσκῶ, καὶ τοῖς ἄλλοις παρακελεύομαι.* quorum ad priora dubium non est quin potissimum respexerit Origenes in Cantic. Cantic. p. 26, *b*, E. ed. Ruae. «Apud Graecos quidem plurimi eruditorum virorum volentes investigare veritatis indaginem, de amoris natura multa (p. 27, *a*, A.) ac diversa etiam dialogorum stilo scripta protulerunt, conantes ostendere, non aliud esse amoris vim, nisi quae animum de terris ad fastigia coeli celsa perducat, *nec ad summam posse beatitudinem perveniri, nisi amoris desiderio provocante.*» Quibus quae Origenes subjicit, Platonici Convivii haud obscuram mentionem faciunt.

P. 81 inf. *Nuncupat — nequeunt.*] Vid. Sympos. p. 203, D. *φιλοσοφῶν διὰ παντὸς τοῦ βίου, δεινὸς γόης καὶ φαρμακεὺς καὶ σοφιστής.* Temere factum a Proclo, Scholl. in Cratyl. p. 94, quod sophistae nomen hoc loco in bonam partem a Platone accipi voluit. Platonem h. l. philosophi nomen in bonam partem, in malam praestigiatoris, venefici et sophistae nomina accipi voluisse (qua quidem persuasione interpretationis nostrae magna pars nititur) cum rationibus philologicis, a nobis Commentario nostro expromendis, luce clarius demonstrari possit, tum idem nemo addubitabit, qui semel amplexus fuerit, quae nos praegressa disputatione de Amore, quem fabula repraesentat, in universum disseruimus. Si quem vero illud male

habet, quod vitia illa Amori ex divina Pori natura adnata finxit Plato (cf. p. 203, D. *κατὰ δὲ αὖ τὸν πατέρα κτλ.*): is velim recordetur, Platonem in ea fuisse sententia, ut animi humani vitia ex ipsa eius praestantia oriri, et maxima quaeque malefacta indolis praeclarissimae, licet depravatae, argumenta esse statueret. Vid. Polit. 6, p. 492, D, E. 7, p. 518, E. 519, A. Itaque quum ista fabula sub Amoris persona fabulosa animi humani naturam intimam patefaceret, non potuit non a divino eius principio vitia etiam repetere, orta ex depravato divino et ad divina bona intento humani animi studio. Vid. Origenis verba Diss. pag. 82 supr. allata, collato ad eum locum scholio.

P. 82 supr. *Origenis*] Patris *πλατωνικωτάτου* verba, a nobis in brevius contracta, reperiuntur Comm. in Cantic. Canticc. p. 30, *a*, E. — p. 31, *b*, B, ed. Ruae. Est autem ille locus totus cognoscendus, quippe plenus sapientiae gravissimae et ex intima Platonis doctrina haustae. Imprimis velim illa attendas: (p. 30, *a*, F.). *Verum nonnulli* etc. etc. quae comparanda sunt cum Platonicis Symp. p. 205, D. *οἱ μὲν ἄλλῃ τρεπόμενοι πολλαχῇ ἐπ' αὐτὸν, ἢ κατὰ χρηματισμὸν ἢ κατὰ φιλογυμναστίαν ἢ κατὰ φιλοσοφίαν*, quibus, ut insequenti disputatione idem declarat, quod contrariis philosophi, praestigiatoris, venefici et sophistae nominibus Amori in fabula tributis spectaverat: animum humanum natura ista comparatum esse, ut perpetua beatitatis perpetuae cupidine teneatur*), singulosque homines, sive huic desiderio rite satisfacere studeant philosophando, sive opum, honorum, libidinum cupiditate trahantur, tamen universo illo beatitatis amore duci, cuius vis divina bene illum habentes ad exoptatum immortalis virtutis et beatitatis finem perducat, abutentes eo maxime ad perversissima quaeque abjiciat studia, denique praestigiis, veneficiis et sophismasi implicet, quibus vitae humanae miseries continetur. Atque hoc loco pretium erit cognosse, quae in eandem sententiam viri rerum humanarum divinarumque periti consentienter cum Platone disputarunt. Conf. igitur Plotin. in ipsa fabulae explicatione 3, 5, 7, p. 297 E. *οἱ δὲ κακῶν ἐφιέμενοι κτλ.* qui tamen, quod supra p. 142 m. 147 m.

---

*) Cf. p. 205, C. *τὸ μὲν κεφάλαιόν ἐστι πᾶσα ἡ τῶν ἀγαθῶν ἐπιθυμία καὶ τοῦ εὐδαιμονεῖν ὁ μέγιστός τε καὶ δολερὸς ἔρως παντί.* quibus verbis Plato plane idem *διαλεκτικῶς* declarat, quod supra p. 203, D. *μυθικῶς* significavit istis: *κατὰ δὲ αὖ τὸν πατέρα ἐπίβουλος τοῖς καλοῖς καὶ ἀγαθοῖς — θηρευτὴς δεινὸς, ἀεί τινας πλέκων μηχανάς.* — Verba illa *ὁ μέγιστός τε καὶ δολερὸς ἔρως*, temere sollicitata, recte primus explicuit C. F. Hermannus in: Zeitschrift für Alterth. Wissensch. 1835, nro. 30, p. 243, quem nuper secutus est Stallbaumius ed. 2dae Symposii p. 186 sq

etiam in aliorum interpretatione notavimus, duplicem istam amandi rationem, bonam alteram, alteram pravam a Platone ipso de industria expressam fuisse minime intellexit. Porro conf. Gregor. Nyss. Opp. ed. Paris. 1mae, T. 2, p. 655, B. p. 750, D. p. 751, A. Egregie ex recentioribus ἐρωτικώτατος ille Fenelonius: Oeuvres, T. 4, p. 572: «Platon dit souvent, que l'amour du beau est tout le bien de l'homme; que l'homme ne peut être heureux en soi, et que ce qu'il y a de plus divin pour lui, c'est de sortir de soi par l'amour; et en effet le plaisir qu'on éprouve dans le transport des passions n'est qu'un effet de la pente de l'âme pour sortir de ses bornes étroites, et pour aimer hors d'elle un beau infini. Quand ce transport se termine au beau passager et trompeur qui reluit dans les créatures, c'est l'amour divin qui s'égare et qui est déplacé: c'est un trait divin en lui-même, mais qui porte à faux: ce qui est divin en soi, devient illusion et folie, quand il tombe sur une vaine image du bien parfait, telle que l'être créé, qui n'est qu'une ombre de l'être suprême: mais enfin cet amour qui (p. 573) préfère le parfait infini à soi, est un mouvement divin et inspiré, comme parle Platon. Cette impression est donnée à l'homme dès son origine» etc. (sunt enim omnia aurea et πλατωνικώτατα). Porro cf. Cudworth. System. Intell. ed. Moshem. T. 1, p. 120 in fabulae interpretatione: «Nihil hic Amor est, quam φιλοκαλία, *amor pulcritudinis* in se spectatae. Qui amor uti homines inflammare et attollere potest, si quidem recte adhibeatur, ut nil nisi magnum et generosum spirent, resque vitiosas, abjectas et humiles contemnant penitus et despiciant; ita etiam, si parum caute ac prudenter homo legibus eius obtemperet, in coecas effrenatasque libidines praecipitem agit.» Hunc quoque fabulae interpretem illud praeteriisse mireris, quod Plato ipse fabula sua ancipitem istam et duplicem amoris universi indolem divinitus patefecit. Idem valet de Schuberto, qui in: Geschichte der Seele p. 274 ed. 2. in fabulae nostrae interpretatione ista docuit: «Unter und mit dem Zuge der sichtbaren Liebe wirkt einer nach dem Unsichtbaren; ja dieser Zug des Sehnens nach einem höhern Element der Befriedigung ist es eigentlich, welcher den nach dem niedern erzeugt und ihm seine Kraft giebt.» Adde Amad. Wendtium in quaestione De Vi Religionis, in Tzschirneri Analectt., Parte 2da, p. 193 inf. et sq. Richterum in libro, qui inscribitur: Das Kampaner Thal, Opp. T. XL, p. 61.*) Ceterum ancipitem istam et ambiguam humani animi

*) Integrum accipe locum: „Der Theil, der an uns von Erde ist, und der auf Wurmringen ruht, ja, dieser lässt sich allerdings wie der Erdwurm mit Erde füllen und mæsten. Die Arbeit, der körper-

naturam, a Platone contrariis philosophi, venefici, praestigiatoris et sophistae nominibus in Amorem congestis fabulose adumbratam, cum philosophus ipse iis quae Alcibiadem in Convivio de se narrantem induxit egregie illustravit, tum eandem Goetheus ille in Fausto felicissime depinxit.

P. 82 inf. *Animus semper quidem etc. etc.*] Cf. Simplic. in Epict. Enchir, cap. 1, p. 20 inf. cap. 34, p. 181 inf. sq. Maxim. Tyr. Diss. 41, 5, p. 491. 493. Ac cum primis istis: *animus semper — emergit* sigillatim conferas Demetr. Cydon. De Contemn. Morte, ed. Basil. p. 51 *παντοδαπὸν ἀνθρώπου ψυχὴ καὶ ἐλεύθερον καὶ νῦν μὲν τοῦτο, νῦν δὲ ἐκεῖνο ποιεῖν αἱρουμένη, καὶ ποτὲ μὲν οὕτω, ποτὲ δὲ ἐναντίως καὶ ἀεὶ πρὸς τὸ δοκοῦν τὰς πράξεις ἁρμοζομένη. τοῦτο δ' αὐτῇ παρὰ τῆς εὐπορίας τοῦ λόγου, ὃ μόνον ἐλεύθερον καὶ τῶν ἐναντίων καὶ ποιητικὸν καὶ εὑρετικόν. ἡ δὲ φύσις πτωχή τις οὖσα κτλ.* sequuntur enim, quae nos supra Scholl. ad p. 79 supr. attulimus.

P. 83 med. *ultra modum—praestantioris:*] Vid. Plat. Theaet. p. 176, E. et cf. Simplic. l. c. p. 182 inf.

P. 84 supr. *Nam bonum quidem etc. etc.*] Cf. Simplic. in in Epict. Enchir. cap. 1, p. 23 inf. sq. cap. 34, p. 173 med. sqq. Maxim. Tyr. Diss. 35, praesertim cap. 5, p. 415. *πάντες ἔρωτος κοινωνοῦντες ἑνὸς τοῦ πρὸς τὸ ἀγαθὸν κτλ.* Em. Palaeol. Orat. 2, p. 174. 176. ed Leunclav. *τὸ μὲν ἀγαθὸν πᾶσι φιλούμενον κτλ.* et oratione eadem p. 190. 192. *πέφυκεν πᾶς ἄνθρωπος μισοπόνηρος εἶναι κτλ.* Dem. Cydon. de Cont. M. p. 78. 79. ed. Basil. *ἐρᾷ μὲν — τοῦ ἀγαθοῦ πᾶς ἄνθρωπος κτλ.* Boeth. Consol. Philos. lib. 3, cap. 2. « *Omnis mortalis cura etc. etc.* » lib.

liche Schmerz und der Heisshunger der Bedürfnisse und der Tumult der Sinne verdrængen und ersticken bei Völkern und Stænden den geistigen Herbstflor der Menschheit; alle jene Bedingungen der irdischen Existenz müssen erst abgethan sein, ehe der innere Mensch die Forderungen für die seinige machen kann. — Ist aber einmal unser nothwendiger Thierdienst vorbei, der bellende innere Thierkreis abgefüttert, und das Thiergefecht ausgemacht, dann fordert der innere Mensch seinen Nektar und sein Himmelsbrod, der sich, wenn er nur mit Erde abgespeiset wird, alsdann *in einen Würgengel und Höllengott verwandelt, der zum Selbstmord treibt, oder in einen Giftmischer, der alle Freuden verdirbt.* Denn der ewige Hunger im Menschen, die Unersættlichkeit seines Herzens will ja nicht reichlichere, sondern andere Kost, nur Speise statt Weide; bezöge sich unser Darben nur auf den Grad, nicht auf die Art, so müsste uns wenigstens die Phantasie einen Sættigungsgrad vormalen können; aber sie kann uns mit der gemalten Aufthürmung aller Güter nicht beglücken, wenn es andere als Wahrheit, Tugend und Schönheit sind."

3, cap. 3. «*Vos quoque etc. etc.*» lib. 4, cap. 2. «*Omnes igitur homines etc. etc.*» Adde Schol. ad p. 82 supr. quo haec itidem pertinent.

P. 84 supr. *Etenim* — p. 84 med. — *possunt?*] Vid. Plat. Symp. p. 204, A. οὐδ' αὖ οἱ ἀμαθεῖς — οὐ ἂν μὴ οἴηται ἐπιδεῖσθαι.

P. 84 med. *Stulti* — *venantur.*] Cf. Philo Opp. ed. Mangei. T. 1, p. 264. αἱ δὲ καταποθεῖσαι κτλ.

P. 84 inf. *eorum hominum, qui* — *dicemus?*] Cf. Plotin. 4, 4, 44, p. 458, A. — 459, B. praecipue p. 459, A, B. ὅλως δὲ — εἴποι; In argumento perversae rationis res corporeas amandi, quam Plato γόητος nomine, Amori tributo, significavit, haec ipsa vocc., γοητεία, γοητεύειν, γοήτευμα Graecis usitata fuere. De γοητείᾳ, quae argenti amori insit, Jo. Chrysost. Opp. ed. Savil. T. 3, p. 593. σφόδρα ἐκπέπληγμαι, πόση τοῖς χρήμασιν ἐγκέχρυπται γοητεία, μᾶλλον δὲ οὐ τοῖς χρήμασιν, ἀλλὰ ταῖς τῶν ἀπατωμένων ψυχαῖς κτλ. T. 5, p. 212. μέχρι πότε χρημάτων ἐρῶμεν; et paucis interjectis ἐκπέπληγμαι ἐπὶ τῷ πράγματι. ὄντως γοητεία τίς ἐστι τὸ πρᾶγμα, χρυσὸν καὶ ἄργυρον τοσοῦτον τιμᾶν. Γοητείαν ἡδονῶν habes in Epist. Socrat. 6, p. 10. Orell. et ap. Theodul. Monach. Laudat. Gregor. Naz. ed. Normann. p. 74 med. Γοητείαν Gregorius Nyss. T. 1, p. 255, A. ed. Paris. 1ma dicit τὴν ποικίλην, ut ait, τῆς ζωῆς ταύτης ἀπάτην i. e. varias, quibus animi se implicent, humanae vitae praestigias. Dio Chrysostomus de δαίμονι, quem fingit, φιλοτιμίας ita loquitur Orat. 4, p. 80, D. ἡ τοῦδε ἀπάτη — ἐπᾴδουσα καὶ γοητεύουσα φησὶ φιλόκαλον αὐτὸν (nim. hominem φιλότιμον) εἶναι καὶ ὡς ἐπ' ἀρετήν τινα ἢ εὔκλειαν ἄγει τὴν δόξαν. Egregie Proclus in Hesiod. O. et D. fol. 15, *b*, ed. Trincav. (ἡ ἐν ἡμῖν ἄλογος ζωή) — ἀπατῶσα τῷ (leg. τό) ἐν ἐκείνῳ (nimir. ἐν τῷ τῇ φύσει κρείττονι) δυνάμενον κρίνειν καὶ γοητεύουσα ταῖς ἡδοναῖς: in eodem argumento καταγοητεύεσθαι ap. Actuar. De Actionib. et Aff. Spir. Animal. ed. Fischer. p. 49. ὥσπερ αἴσχιστον ἀνδράποδον τὸν νοῦν περιάγομεν, καταγοητευθέντες ἀλόγοις ὀρέξεσιν. Adde Sturzium in Nov. Act. Soc. Lat. Jen. T. 1, p. 76 = Empedocl. p. 43, anott. 26, et nos in Basilio Plotinizante p. 19.

P. 85 med. *Quod enim* — *expetendum.*] Est profecto Platonis sententiâ bonum τὸ ἐφετόν. Vide *Basilium* nostrum *Plotinizantem* p. 35.

P. 85 med. *Nemo enim* — *beatitate.*] Vid. Plat. Protag. p. 345, D, E. p. 361, B. et aliis locis, laudatis ab Astio libro De Vita et Script. Plat. p. 69 annot.**) Multa in eandem pronunciata sententiam ex Stoicis aliisque scriptoribus Platone posterioribus attulit Gatack. ad M. Anton. 7, 63. 11, 18. Adde

Basil. M. Opp. T. 1, p. 366, D. et Simplicium, Max. Tyrium; Em. Palaeologum, Demetr. Cydonium, Boëthium locis ad p. 84 supr. excitatis.

P. 86 med. *Spe amor etc. etc.*] Cf. Maxim. Tyr. Diss. 7, 5, p. 69. 71.

P. 86 extr. *Nihil enim horum bonorum etc. etc.*] Cum universa ista disputatione de miseria, quae amori perverso comitatur, conferri velim, quae in eandem cum Platone sententiam istis docemur locis: Epistol. Platon. 7, p. 335, A. *ὁ φιλοχρήματος πένης τε ἀνὴρ τὴν ψυχὴν κτλ.*: Epistol. Socrat. 6, p. 10 ed. Orell. *μιαν ἀρχὴν εὐδαιμονίας ἐγὼ νομίζω φρονεῖν εὖ κτλ.*: Philo T. 1, p. 116, T. 2, p. 107. *πενίας ψυχικῆς ἔργον κτλ.* T. 2, p. 204 p. 548 inf. et sq. *τῶν παθῶν οὐδὲν οὕτως ἀργάλεον κτλ.* p. 577 *ὁ — φαῦλος πολυδεὴς κτλ.*: Plutarch. fragm. ex libro Contra Divitias num. 2, p. 339, T. 5 ed. Wytt. *ἀπληστία καὶ ἄπιστός ἐστιν ἐν αὐτοῖς μανία κτλ.* T. 3 Opp. Morr. p. 524, D. *ἡμεῖς ὅταν ἴδωμεν ἄνδρα τῷ πορισμῷ προστετηκότα — τί φήσομεν τὸ πάθος εἶναι τοῦ ἀνθρώπου ἢ πενίαν ψυχικήν;* Clem. Alex. Strom. 7, p. 664. *πενία — ἡ κατὰ τὰς κοσμικὰς* (vulg. *κοσμίας*) *ἐπιθυμίας ἀπορία* i. e. *inopia* nim. animi, *quae studio rerum fragilium inest*: Maxim. Tyr. Diss. 4, 4. p. 33. *τί ἂν εἴη πενέστερον κτλ.*: Julian. Imp. Opp. ed. Spanhem. Orat. 2, p. 84, D sq.: Jo. Chrysost. ed. Savil. T. 3, p. 394, *οὐδὲν οὕτω πτωχοποιὸν* [*ὡς φιλαργυρία* scil.] *κτλ.* T. 2, p. 502. *οὐκ ἔστι πλούσιον εἶναι κτλ.* p. 508, 1 sq. p. 518, 30 sq. T. 3, p. 97. T. 5, p. 15, 25 sq. p. 78. *οἱ θησαυρὸν ὀρύττοντες κτλ.* p. 358. *τί γένοιτ' ἂν πενέστερον κτλ.* T. 6, p. 676. *οὗτος τοίνυν ὁ πλούσιος κτλ.* et aliis locis permultis (est enim nemo Chrysostomo facundior in depingenda istiusmodi *πενίᾳ*, ut ipse ait, *ψυχικῇ*): Gregor. Nyss. Opp. ed. Paris. 1ma, T. 2, p. 563, B, C. Isidor. Pelus. lib. 3, epist. 217. *οἱ — μόνον εἶναι σῶμα τὸν ἄνθρωπον ἀλογίστως ἡγούμενοι κτλ.* Demetr. Cydon. de Cont. Morte, ed. Basil., p. 61. *τὸ δεχόμενον αὐτὰς* (*τὰς ἡδονάς*) *ὁ τετρημένος ἐστὶ τοῦ σώματος πίθος κτλ.*

P. 87 supr. *sed infinita — quod exspectant.*] Egregie in eandem sententiam Jacobius Opp. T. 6, p. 157: «Durch die Vermehrung der Güter kann unmöglich die Armuth vermindert werden; denn, wie man's auch anstellen möchte, immer wird am Saume des Ueberflusses Elend und Jammer kleben.»

P. 87 med. *Quid autem pauperius — sua bona venari sibi videtur?*] Egregie hanc in sententiam Porphyrius disputat, ipsam Platonis fabulam respiciens eamque interpretans, De Abstin. lib. 3, 27, p. 288 ed. Rhoer. — *τὸ θεῖον καὶ ἀκήρατον καὶ ἐν πᾶσιν ἀβλαβὲς σώζειν οὐ δυνάμεθα. οὐ γὰρ ἐν πᾶσιν ἦμεν ἀπροσδεεῖς· αἰτίᾳ* (l. *αἰτία*) *δὲ ἡ γένεσις* (i. e. *mortalis natura*)

καὶ τὸ ἐν τῇ πενίᾳ ἡμᾶς γενέσθαι, τοῦ πόρου ἀποῤῥυέντος (l. ἀποῤῥυέντας i. e. *postquam divinae naturae beatitate excidimus**). ἡ δὲ πενία ἐξ ἀλλοτρίων τὴν σωτηρίαν καὶ τὸν κόσμον, δι' οὗ τὸ εἶναι ἐλάμβανεν, ἐκτᾶτο**). ὅστις οὖν πλειόνων δεῖται τῶν ἔξωθεν, ἐπὶ πλεῖον τῇ πενίᾳ προςήλωται. καὶ ὅσῳ πλειόνων ἐνδεής, τοσούτῳ θεοῦ μὲν ἄμοιρος, πενίᾳ δὲ σύνοικος. τὸ γὰρ θεῷ ὅμοιον τῇ ὁμοιώσει εὐθὺς πλοῦτον ἔχει τὸν ἀληθινόν. πλουτῶν δὲ οὐδεὶς καὶ χρήζων μηδενὸς ἀδικεῖ· ἕως γὰρ ἀδικεῖ, κἂν πάντα ἔχῃ χρήματα, κἂν (p. 289) πάντα τῆς γῆς πλέθρα, πένης ἐστίν, πενίᾳ ὑπάρχων σύνοικος. διὰ ταῦτα δὴ καὶ ἄδικος καὶ ἄθεος καὶ ἀσεβὴς καὶ πάσῃ κακίᾳ ἔνοχος, ἧς τὴν ὑπόστασιν ἡ πρὸς τὴν ὕλην τῆς ψυχῆς πτῶσις κατὰ στέρησιν τοῦ ἀγαθοῦ παρήγαγεν· λῆρος οὖν πάντα, ἕως τις τῆς ἀρχῆς ἀπέσφαλται, καὶ ἐνδεὴς πάντων, ἕως οὐ πρὸς τὸν κόρον (leg. πόρον coll. Scholl. p. 157) οὐ βλέπει, εἴκει τε τῷ θνητῷ τῆς φύσεως αὐτοῦ, ἕως τὸν ὄντως ἑαυτὸν οὐκ ἐγνώρισεν. Add. Simplic. in Epict. Enchir. cap. 1, p. 20 inf. ὅταν — τοῖς σώμασιν ἑαυτὴν ἐνδῷ (anima) καὶ ταῖς ἀλόγοις τοῦ σώματος ζωαῖς, τότε τὴν ἔνδειαν ἐκείνων οἰκείαν ἡγουμένη, συνορέγεται ἐκείνων ἠναγκασμένως.

P. 87 med. *quam sit sibi curta suppellex*] Persiana, ex Sat. 4, 52.

P. 87 med. *Sic igitur etc. etc.*] Cf. Plutarch. de Tranquill. Animi, Opp. Morr. ed. Wyttenb. T. 2, p. 652. οἱ μὲν ἀνόητοι κτλ. et Vita Marii T. 2, p. 542 ed. Bryan. τοὺς ἀμνήμονας καὶ ἀνοήτους κτλ.

P. 87 inf. *ut revera Tantali de iis qui ita amant fabula narrari possit*] Vid. Horat. Serm. 1, 1, 68 sqq. Philo T. 2, p. 549 ed. Mang. Maxim. Tyr. Diss. 4, 4, p. 55. καὶ τὸ τοῦ Ταντάλου αἴνιγμα κτλ. Euseb. Vit. Constant. 1, 55. οὐ γὰρ εἶχεν αὐτῷ μέτρον ἡ μικρολογία — Ταντα λείῳ πάθει τὴν ψυχὴν τρυχόμενος. Macrob. in S. S. lib. 1, cap. 10. ad Tantali fabulam respiciens: «Illos, inquit, aiunt epulis ante ora positis excruciari fame et inedia tabescere, quos magis magisque acquirendi desiderium cogit praesentem copiam non videre, qui in affluentia inopes, egestatis mala in ubertate patiuntur, nescientes parta respicere, dum egent habendis.» Et cui hoc loco non succurrunt Goethiana illa in Fausto: «Den schlepp' ich durch das

*) Est autem ἀποῤῥυῆναι a Porphyrio, nostra ex emendatione, eo usurpatum significatu, de quo nos diximus ad Gregor. Nyss. de Anima et Resurr. ed. Krabing. p. 244. Πόρον Porphyrium divinae naturae beatitatem interpretatum esse supra jam vidimus p. 137 sq.

**) Sponte apparet, Porphyrium πενίαν h. l. intelligere *naturam* ὑλικήν. Conf. supra p. 137 sq.

wilde Leben, Durch flache Unbedeutenheit, Er soll mir zappeln, starren, kleben, *Und seiner Unersättlichkeit Soll Speis' und Trank vor gier'gen Lippen schweben; Er wird Erquickung sich umsonst erfleh'n.»*

P. 88 inf. *Aut ad voluptates — rapiuntur.*] Perversa hominum, istis rebus intentorum, studia egregie oratione IV^ta^, p. 72, C sqq. depinxit Dio Chrysostomus. Est autem illa orationis pars cum platonica fabula eo nomine comparanda, quod Dio, quum p. 72, A. animum humanum daemonem, bonum bonorum, pravum pravorum, esse docuisset, quid animus, perverso amore sive voluptatum sive opum sive honoris incensus et inflammatus, in singulis ad singula ista intentis hominibus efficiat, quaque conditione et sorte singuli ei dediti homines vivant, ita explicuit, ut daemonem, cui illi serviant sive *φιληδονίας* sive *φιλοχρηματίας* sive *φιλοτιμίας* allegorice depingeret eiusque conditionem ac sortem ante oculos quasi poneret, haud aliter ac Plato in una quidem eademque Amoris daemonis persona praeter genuina et philosopha hominum studia etiam conditionem et sortem animorum perverso rerum sensibilium amore incensorum fabulose depinxit et in oculorum conspectu quasi poneret.

P. 88 inf. *mendicant et ipsae, miserae sunt.*] Egregia sunt, quae de hoc argumento Suso ille disputat loco a nobis allato in libello, Bernae ap. C. A. Jennium 1838. edito, qui inscribitur: Lesefrüchte Altteutscher Theol. u. Philos. p. 1 sq.

P. 89 supr. *apud Hesiodum*] Ἔργ. κ. Ἡμ. vs. 26.

P. 89 inf. *Ad universi — adstrinxit.*] Vid. Plat. Symp. p. 205, D.

P. 89 extr. *Est autem haec — ad animum.*] Vid. Plat. Symp. p. 206, B—E. quo respexit Origenes in Cantic. Cantic. p. 28, *a*, E. ed. Ruae.: «Sicut dicitur aliquis corporis amor, quem et cupidinem appellant poëtae, secundum quem qui amat, in carne seminat, ita est et quidam animi amor, secundum quem ille interior homo amans in animo seminat.»

P. 90 supr. *qui pectus etc.*] Horatiana, Epist. 2, 1, 211. 212.

P. 90 inf. *apud hos igitur etc. etc.*] Cf. Plotin. 3, 5, 1. p. 292, A, B, D, E. De istis p. 90 extr. *Quid? quod etc. etc*, sigillatim confer Plat. Symp. 208, E. *οἱ — ἐγκύμονες — κατὰ σώματα ὄντες πρὸς τὰς γυναῖκας μᾶλλον τρέπονται καὶ ταύτῃ ἐρωτικοί εἰσι, διὰ παιδογονίας ἀθανασίαν καὶ μνήμην καὶ εὐδαιμονίαν, ὥς οἴονται, αὐτοῖς εἰς τὸν ἔπειτα χρόνον πάντα ποριζόμενοι*: Plotin. 4, 4, 44, p. 458, A, B. *τέκνων μὲν γὰρ ἐπιμέλειαι κτλ.*: Themist. Or. 32, p. 356, D, ubi quae ad liberorum procreationem pertinent, *φύσεως γοητεύματα* nuncupantur.

P. 91 supr. *Sed alii quidem* — p. 91 med. — *illaqueantur.*] Hic est *mixtus* ille *amor*, de quo Plato Phaedr. p. 253, D sqq. Leg. lib. 8, p. 837, B, C, D. quorum locorum cognatam sententiam egregie illustravit Bessario opere *ἐλέγχων τῶν κατὰ Πλάτωνος βλασφημιῶν* Cod. Monac. 80, fol. 126, *a*: *τὸν δὲ ἐξ ἀμφοῖν* (nim. ex impuro et puro) *μιχθέντα τρίτον ἔρωτα εἶναι* (*Plato de Leg. l. c. docet*), *τὸν ἐξ ἀμφοῖν δηλονότι εἰς τ᾽ἀναντία ἑλκόμενον. τὴν δ᾽ εἰς ἐναντία ταύτην ἕλξιν καὶ τῇ τῆς ξυνωρίδος τῶν ἵππων ἐν Φαίδρῳ* (l. c.) *Πλάτων ἠνίξατο, θάτερον μὲν αὐτῶν κάλλους σώματος ὀρεγόμενον εἰςαγαγὼν, καὶ τούτου μόνον τυχεῖν αὐτόν τε ὀρεγόμενον, καὶ τὸν ὁμόζυγον ἅμα τῷ ἡνιόχῳ προτρέποντα, θάτερον δὲ ἀπαναινόμενον καὶ ἀποτρεπόμενον, ἅτε δὴ μὴ σωματικοῦ ἀλλὰ ψυχικοῦ ὀρεγόμενον κάλλους καὶ ἀρετῆς εἴδους θειοτάτου ἐρῶντα.* Add. Plotin. 3, 5, 1, p. 292, E. F.

P. 91 supr. *suum opus suamque vitam agere*] Vid. Plotin. 4. 4, 44, p. 438, A. Jamblich. ap. Stob. Ecl. lib. 2, cap. 8, sect. 41, p. 396 ed. Heeren. *καθόσον μὲν οὖν δίδωσιν ἑαυτὴν κτλ.* et sect. 42 totâ.

P. 91 supr. *Sed iidem* — *sublevare.*] Operae pretium erit cognosse, quae in eandem sententiam pronuntiarunt Jacobius Opp. T. 6, p. 77 et Baader Ferment. Cognit. Fasc. 4, p. 53 inf. et sq. Platonis de Phaedro loci, qui huc pertinent, cuivis in eius scriptis non prorsus hospiti statim in mentem venient.

P. 91 med. *quoniam* — *capaces*] Conf. praeter Jacobium l. c. H. C. Agrippam Opp. (ed. Lugdun. 1600. 8°) Part. 2, Sect. 2, p. 391, qui tamen hunc affectum parum recte eorum quoque amantium generi tribuit, de quibus nos in insequentibus diximus.

P. 91 inf. *Videlicet* — p. 92 supr. — *appetentes.*] Cf. Plutarch. Erotic. p. 765, F. 766, A. quem locum itidem in usum suum convertit personatus ille Athenagoras: Du vray et parfait Amour, Paris 1599, 8°, p. 18.

P. 93 inf. *Quo non est etc. etc.*] Sunt verba Adeodati Sebac in Collect. Poëtt. Gallor. ed. Gruter. T. 3, p. 627 extr.

P. 97 supr. *Homo igitur etc.*] Cf. Simplic. in Epict. Ench. cap. 34, p. 181 inf. 182 supr.

P. 97 med. *eximens sese externis*] Cf. Macrob. in Somn. Scip. lib. 1, cap. 9: «Homini — una est cognitio sui, si originis natalisque principia atque exordia prima respexerit, *nec se quaesiverit extra.*»

P. 97 med. *sentiunt hi sane, eatenus etc.*] Cf. Simplic. in Epict. Enchir. cap. 38, p. 252 med. sq.

P. 98 supr. *fugae a Deo contraria ab omni malo fuga* —] Conf. Philo T. 2 ed. Mang. p. 418. *ἐπειδὰν — πτερυξάμενος ὁ νοῦς ὅλῃ τῇ ψυχῇ διὰ πάντων αὐτῆς μερῶν φαντασιωθῇ τὸ ἀγα-*

θὸν κτλ. Hierocl. in A. C. ed. Needh. p. 180. — τὴν ἄνωθεν φυγὴν τῇ ἀντιστρόφῳ φυγῇ ἰᾶσθαι —: Damasc. de Principp. ed. Kopp. p. 209 sq. ubi de ἐπιστροφῇ gravissime docetur: add. ex patribus eccl. Euseb. Praep. Ev. 6, 18, p. 552, D. Basil. M. T. 1, p. 548, D. Universam hanc sententiam ante nos recc. Platonicorum et patrum eccl. locis egregie illustravit Krabing. ad Greg. Nyss. de Anima p. 297. Fons ap. Platonem illo ipso Theaeteti loco, quo nos Diss. p. 98 med. usi sumus.

P. 98 inf. *Ad quam quo propius — spectatores sunt.*] Conf. in hanc sententiam Plotinum locis a me allatis in *Basilio Plotiniz.* p. 28, not. 21: Basilium T. 3, p. 20, B. καὶ ὥσπερ τὰ λαμπρὰ κτλ. et locis libro laudato p. 42 ad p. 28, col. 1, lin. 27 adscriptis. De extremis istis: «qui quidem elegantes anim. formarum spectatores sunt» conf. Jo. Chrysost. Opp. ed. Savil, T. 3, p. 592, ἀπὸ τούτων μετάγαγε τὴν διάνοιαν ἐπὶ τὸ κάλλος τὸ ἀληθινὸν κτλ. Vix est autem, quod lectores φιλοπλάτωνας doceam, Alcibiadem nobis a Platone in Convivio exhiberi egregium huiusmodi spectatorem φιλόκαλον. Vid. Conviv. p. 216, D sq. ἔνδοθεν δὲ ἀνοιχθεὶς κτλ.

P. 99 med. *Neque corporis — desiderare posset.*] Nimirum par pari tantum comprehensibile. Vide Basilium nostrum Plotiniz. p. 10, col. 2, lin. 7 sq. collata annot. p. 18, et p. 27, col. 2, lin. 21 sq. coll. annot. p. 41.

P. 99 med. *Simulac autem — eaque se ortum esse.*] Conf. Damasc. de Principp. c. 12, p. 35 ed. Kopp. ἡ γοῦν ἡμετέρα ψυχὴ κτλ. et ex nostrae memoriae philosophis Jacobium Opp. ed. Köpp. T. 1, p. 259, sq, T. 2, 119 sq. T. 3, p. 202. 216. 271 sq. 401. Wendtium commentatione De Vi Religionis Universa, in Tzschirneri Anal. Part. 2, p. 197 sqq. p. 202 sqq. Adde egregium illum Neandrum: Genet. Entwicklung der vornehmsten gnost. Systeme p. 27.

P. 99 extr. *Nunquam enim etc. etc.*] Vid. Plotin. 4, 4, 12, p. 406, A, B, C.

P. 100 med. *Num vero ullum etc. etc.*] Conf. Plotin. in ipsa fabulae nostrae explicatione 3, 5, p. 299, E. ἔστι δ' οὗτος κτλ. Adde Boeth. Consol. Philos. Lib. 3, carm. 11 et Lib. 5, carm. 3. «*Sed mens*» etc. etc. Damasc. de Principp. cap. 29, p. 75 ed. Kopp. (ubi in verbis φῶς ἀληθείας ἐκ πυρείων προτριβόμενον, apud Koppium vitiatis, ad Plat. Polit. 6, p. 435, A. respicitur) atque ex recentioribus philosophis Jacobii, τοῦ πλατωνικωτάτου, Opp. ed. Köppen. T. 1, p. 259 sq. T. 3, p. 192. 202. 216. 271 sq. 292 sq. Richterum Opp. T. 51, p. 103.

P. 100 inf. *ad hoc mens — sibi proponat.*] Conf. Philo T. 1, p. 16 (ὁ νοῦς) ἑπόμενος ἔρωτι σοφίας ποδηγετοῦντι κτλ. Basil. M. T. 2, p. 536, C. τοῦ θείου πόθου οὐκ ἔξωθέν ἐστιν ἡ

μάθησις κτλ. Huc quoque pertinent loci a nobis supra ad p. 80 inf. excitati. Adde ex recentioribus Fichtium: Sätze zur Vorschule der Theologie, p. 183. 184.

P. 100 inf. *mens enim* — p. 101 supr. — *quae oblivione effluxerant.*] Conf. Boeth. Consol. Philos. loco supra laud. lib. 4, carm. 5:

«*Nunc membrorum condita nube,*
Non in totum est oblita sui,
Summamque tenet singula perdens.
Igitur quisquis vera requirit,
Neutro est habitu; nam neque novit,
Nec penitus tamen omnia nescit:
Sed, quam retinens meminit, summam
Consulit, alte visa retractans,
Ut servatis queat oblitas
Addere parteis.»

Vix est, quod lectores Platoni familiares factos doceam, hanc ipsam sententiam esse illorum de Convivio verborum p. 204, B. — *ἀναγκαῖον Ἔρωτα φιλόσοφον εἶναι . . . . . μητρὸς δὲ οὐ σοφῆς καὶ ἀπόρου.*

P. 100 inf. *quatenus autem mens* — p. 101 supr. — *effluxerant.*] Egregie hoc argumentum illustrat poeta *πλατωνικώτατος* E. Schulzius Opp. Poett. T. 4, Eleg. 7, p. 115 sq.: «Erinnrung ist die letzte schöne Gabe, Worin ein Strahl der ew'gen Flamme glänzt —» etc. etc.

P. 101 supr. *quum necesse sit, omnes* — *se inopes esse agnoscunt*] Multus est in hoc argumento explicando Gregor. Nyss. Opp. ed. Paris. 1mae, T. 1, p. 783, B. — 786, C. ubi quae prolixe disputata sunt, in brevius contracta sic enunciantur ab eodem doctore eccl. T. 1, p. 297, D. *οὐκ ἂν εἰς ἐπιθυμίαν ἔλθοιμεν τῶν ἀληθινῶν ἀγαθῶν, εἰ μὴ τὴν ἐν τούτοις ἑαυτῶν πτωχείαν κατανοήσωμεν, ἀλλ' ἔμψυχός τις γένηται καὶ ἐνδιάθετος τῆς προσευχῆς ὁ τόνος* (p. 298, A.), *ὅταν γνῶμεν τίνων πτωχεύομεν, καὶ πρὸς τὴν ἀναβολὴν τῶν ποθουμένων ἀκηδιάσωμεν.* Add. Jo. Chrysost. Opp. T. 6, p. 147. *καθάπαξ — τοὺς ὀφθαλμοὺς τῆς ψυχῆς στρέψας εἰς τὸν οὐρανὸν καὶ τὸ ἐκεῖ κάλλος καταπλαγεὶς, οὐκ ἠνέσχετο πρὸς τὴν γῆν ὑποστρέψαι πάλιν· ἀλλ' ὥςπέρ τις πτωχὸς καὶ πένης, ἐν οἰκίσκῳ γνοφώδει καὶ ταπεινῷ τὸν ἅπαντα χρόνον κατακλεισθεὶς, ἐπὰν ἴδῃ βασιλέα* (l. *λεῖα*) *χρυσῷ τε πολλῷ καὶ λίθων ἀστραπαῖς ἀποστίλβοντα, οὐκ ἂν ἕλοιτο λοιπὸν οὐδὲ εἰς νοῦν τὴν τῆς οἰκείας πτωχείας οἰκίαν λαβεῖν, ἀλλὰ πάντα πραγματεύσεται ὑπὲρ τοῦ μεταστῆναι πρὸς ἐκείνην τὴν οἴκησιν, ἂν ἐξῇ· οὕτω καὶ ὁ μακάριος ἐκεῖνος, κατοπτεύσας τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, κατεφρόνει τῆς ἐνθάδε πενίας, καὶ τοῖς ἀνθρώποις διὰ τὴν τοῦ σώ-*

ματος ἀνάγκην συναναστρεφόμενος, πρὸς οὐδὲν τῶν ἐνθάδε ἐπεστρέφετο, ἀλλ' ὅλον ἑαυτὸν πρὸς τὴν πόλιν ἐκείνην μετέθηκε.

P. 101 supr. *quoniam — inopes esse agnoscunt.*] Cf. Greg. Naz. Or. 16, p. 239, B. *πτωχοὶ* (*ἡμεῖς*) *ἅπαντες καὶ τῆς θείας χάριτος ἐπιδεεῖς, κἂν ἄλλος ἄλλου προέχειν δοκῇ, μικροῖς μέτροις μετρούμενος.* Eodem sensu idem *πτωχὸς τὴν διάνοιαν καὶ μὴ σφόδρα ὑπὲρ τῶν ὁρωμένων* Or. 15, p. 227, D. dixit.

P. 101 supr. *sequitur, ut — deliciarum investigationi*] Cf. ex doctoribus ecclesiae christianae Jo. Chrysostomum, de re eadem — *πλατωνικῶς* dicam an *χριστιανικῶς*? — docentem Opp. ed. Savil. T. 1, p. 586: *εἰ οἱ σώματα λαμπρὰ φιλοῦντες οὐδὲν ἐπαισθάνονται τῶν ἐν τῷ βίῳ, ἀλλ' ἑνὸς μόνου εἰσὶ, τῆς ἐρωμένης ὄψεως· ὁ θεὸν φιλῶν, καθὼς φιλεῖν δεῖ, τίνος αἰσθήσεται λοιπὸν ἢ χρηστοῦ τῶν ἐν τῷ βίῳ τούτῳ ἢ λυπηροῦ; οὐδενός· ἀλλ' ἔσται πάντων ἀνώτερος, ἀθάνατα τρυφῶν· ἐπεὶ καὶ ὁ φιλούμενος τοιοῦτος· οἱ μὲν γὰρ τὰ ἄλλα φιλοῦντες ταχέως καὶ ἄκοντες εἰς λήθην μεταβάλλονται, ἀπυλλομένων τῶν φιλουμένων καὶ μαραινομένων· οὗτος δὲ ὁ ἔρως ἄπειρος, ἀτελεύτητος, καὶ τὴν ἡδονὴν μείζονα ἔχων καὶ τὸ κέρδος πλέον, καὶ τούτῳ πάλιν ψυχαγωγῶν τὸν φιλοῦντα τῷ μηδέποτε καταλύεσθαι.*

Hic locus et qui similes eius centeni alii apud Jo. Chrysostomum et apud optimos quosque patres eccles. reperiuntur, satis ostendunt, nihili esse, quae de discrimine amoris platonici et christiani nuper pronunciavit Olshausenius Comm. ad S. Pauli Epist. ad Corinth. I, p. 648. Quam enim certum est, ea quae Chrysostomus h. l. de amore, quem christiana doctrina informat, ne nomine quidem amoris immutato, (*ἔρωτα* enim Chrysostomus h. l., ut fere semper, nuncupat, quae vulgo *ἀγάπη* audit) in amorem philosophum, a Platone in Convivio hac fabula et Diotimae oratione extrema informatum, transferri posse: tam est certum, futilia esse, quae Olshausenius l. c., extollendi scilicet *χριστιανισμοῦ* gratia, detrahens antiquitati profanae judicavit: «Das Heidenthum ist nicht über den *ἔρως* hinausgekommen und kennt die christliche *ἀγάπη* nicht (nomine scilicet tenus!).» — Quibus quod V. D. addit: «Eros, auch in der reinsten, edelsten Form ist nur Resultat des Mangels, die Sehnsucht der Liebe, geboren aus dem Bewusstsein, dass man das Liebenswürdige nicht hat. Die christliche *ἀγάπη* ist aber die positive ausströmende Liebe, Gott selbst, der in den Gläubigen wohnt, so dass Ströme des lebendigen Wassers von ihm fliessen;» horum priora ut amori platonico temere vitio vertunt, quae ei communia sunt cum christiano (vid. *Scholl.* ad p. 105 inf. et ad p. 115 supr.), ita posterioribus huic soli tanquam peculiaria tribuuntur, quae in amorem a Platone extrema Diotimae oratione divinitus informatum itidem cadunt. Sed nimirum Ols-

hausenius ex Fortlagii Meditationibus de Platonis Convivio, ab ipso laudatis, quam ex ipso Platone *platonicum amorem* cognoscere et iudicare videtur maluisse. Alioquin ex oratione Diotimae extrema ea didicisset, quae eum ab amore, vere et κατ' ἐξοχὴν platonico, calumniando fortasse retinuissent. Itaque Olshausenius et qui eius similes sunt platonicae maiestatis obtrectatores sibi quoque accipiant dicta, quae olim Bessario opere ἐλέγχων τῶν κατὰ Πλάτωνος, Cod. Monac. 80, fol. 108, *a*, recitato exitu orationis in Convivio Socraticae pronunciavit: τοιαῦτα, ὦ ἄνδρες ἀκροαταί, τὰ Σωκράτους καὶ Πλάτωνος ἐρωτικά, τοιοῦτον ἔρωτα, τοιοῦτον ἐραστὴν καὶ ἐρώμενον σέβονται, τοῦτον τιμῶσι, τοῦτον ἐπιτηδεύειν τοὺς εὖ βιώσεσθαι μέλλοντας παρακελεύονται, εἰς οὐρανὸν ἐκ τῶν ἐπιγείων καὶ ὁρωμένων δὴ τούτων ἀναχθῆναι εἰς τὸ νοητὸν καὶ ὄντως καλὸν ἀνατετᾶσθαι καὶ τῇ ἐκείνου θεωρίᾳ ἐνασχολεῖσθαι, τῆς ἐσχάτης εὐδαιμονίας καὶ μακαριότητος ἐπιτυχόντας.

P. 101 med. *eo magis — investigationi*] Cf. Philo. T. 1, p. 482. πόθος οὖν εἴ τις εἰσέρχεταί σε, ψυχή, τῶν θείων ἀγαθῶν κληρονομῆσαι, μὴ μόνον — τὸ σῶμα καὶ — αἴσθησιν —, ἀλλὰ καὶ σαυτὴν ἀπόδραθι καὶ ἔκστηθι σεαυτῆς κτλ. Vid. T. 2, p. 473. οἱ — ἐπὶ θεραπείαν (τῆς ψυχῆς) ἰόντες κτλ. Fons ap. Plat. Phaedr. p. 249, C, D, E. Ex recentioribus add. Schubertum: Ansichten von der Nachtseite der Naturwissenschaften, p. 114 ed. 2dae: «Der Weg hinaufwärts . . . . damit ihr das Unbekannte lieb und theuer werde.» et p. 115: «der Gegenstand der höbern, stärkern, bessern Liebe . . . bekannt und nahe war.«

P. 101 med. *nisi enim adeptis — insuavem fore statuit.*] Vid. Plat. Symp. p. 211, D. ἐνταῦθα τοῦ βίου — εἴπερ που ἄλλοθι, βιωτὸν ἀνθρώπῳ, θεωμένῳ αὐτὸ τὸ καλόν. quorum haec mens est: *homini tum demum vitalem et beatam esse vitam, quum in eo gradu vitae constitutus sit, ut in contemplatione aeterni et divini pulcri vivat atque vigeat.* Inest autem loco illi alia quoque sententia, verbis εἴπερ που ἄλλοθι (vid. Ast. ad Plat. Gorg. Annot. p. 59) haud obscure significata: *vulgarem istam vitam nostram, quae careat huius adspectus immensa et vivaci voluptate, insuavem, miseram et prorsus nullam esse.* Has sententias, a nobis Commentario nostro uberius illustrandas, Plato fabula nostra μυθικῶς eo adumbravit, quod in Amorem ista congessit p. 204, C. πρῶτον μὲν πένης — D. — ἀεὶ ἐνδείᾳ ξύνοικος. Sive enim ista ad Amorem φιλοσοφοῦντα refers, sive ad σοφιστὴν trahis, optime iis descriptum videbis βίον istum mortalium ἀβίωτον.

P. 101 inf. *semper enim se contentus non est — expleat et sublevet.*] Cf. Jo. Chrys. ed. Savil. T. 1, p. 236. ἡ ἀνθρωπίνη φύσις οὐκ ἀνέχεται ἵστασθαι ἐπὶ τῶν οἰκείων ὅρων, ἀλλ' ἀεὶ

τοῦ πλείονος ἐφιεμένη ὀρέγεται τῶν μειζόνων. quibus quae pater eccl. addit: καὶ τοῦτό ἐστι ὃ μάλιστα ἀπόλλυσι τὸ ἀνθρώπινον γένος κτλ. comparanda sunt cum insequentibus nostris: *sed amore quidem male sano* etc. Ex recentioribus, qui multi sunt in hoc argumento, laudasse sufficiet Jacobium Opp. T. 6, p. 206 sq.: «Der Mensch ist ein strebendes Geschöpf» etc. etc. et Fichtium, filium: Sätze zur Vorschule der Theologie, p. 183. 184.

P. 102 med. *Ergo tunc — moriendi*] Cf. Philo Opp. ed. Mang. T. 1, p. 196. πάντες, οἷς ὑπὲρ κτήσεως ἀρετῆς πόνος διαθλεῖται, τὸν περίγειον καταλελοιπότες χῶρον, μετεωροπολεῖν ἐγνώκασι, οὐδένα τῶν σωματικῶν ἐφελκόμενοι κηρῶν: id. T. 1, p. 333. (ὁ τοῦ φιλοσοφήσαντος ἀνόθως νοῦς) οὐ βρίθει πρὸς τὰ σώματος καὶ γῆς φίλα ταλαντεύων κτλ.: id. T. 2, p. 462. τὴν ψυχὴν ἐθίσαντες ἐξ ἀρχῆς δι' ἐπιστήμης ἔρωτα τῆς μὲν πρὸς τὰ πάθη κοινωνίας ἀφίστασθαι κτλ.: p. 473. (οἱ ἐπὶ θεραπείαν ψυχῆς ἰόντες) διὰ τὸν τῆς ἀθανάτου καὶ μακαρίας ζωῆς ἵμερον τετελευτηκέναι νομίζοντες τὸν θνητὸν βίον, ἀπολείπουσι τὰς οὐσίας κτλ.: add. Julian. Imperat. ad Themist. p. 259, A. κἂν ἄνθρωπός τις ᾖ τῇ φύσει, θεῖον εἶναι χρὴ τῇ προαιρέσει καὶ δαίμονα, πᾶν ἁπλῶς ἐκβαλόντα τὸ θνητὸν καὶ θηριῶδες τῆς ψυχῆς, πλὴν ὅσα ἀνάγκη διὰ τὴν τοῦ σώματος παραμένειν σωτηρίαν. Basil. M. Opp. ed. Garner. T. 2, p. 342, B, C. Fons apud Platonem locis statim post ad p. 102 med. annotatis et in Phaedone, loco in Dissert. p. 102 med. significato, p. 64 — 67, E. quo Philo aperte respexit T. 2, p. 292. φασὶ τὸν σοφίας ἐραστὴν οὐδὲν ἕτερον ἐπιτηδεύειν ἢ τὴν ἀπὸ τοῦ σώματος καὶ τῶν παθῶν διάβασιν. Ex recentioribus hoc argumentum, in quo intima platonici Phaedonis cum posteriore parte Convivii necessitudo consistit, egregie illustravit Dan. Heinsius divino carmine De Contemptu Mortis, lib. I, p. 265 sq. ed. Amstelod. Poëmm. 1649.

P. 102 med. *udam — penna*] Horatiana, Carm. lib. 3, 2, 23, 24. quibus eo maiore usi sumus jure, quod prorsus platonica sunt, quippe hausta ex Platonis Phaedro p. 249, D. Theaet. p. 173, D, E. 176, A, B.

P. 102 med. *in . . mortalitatem contumax*] Cf. Philo T. 1, p. 101. ὁ φιλόσοφος, ἐραστὴς ὢν τοῦ καλοῦ, τοῦ ζῶντος ἐν ἑαυτῷ κήδεται, ψυχῆς, τοῦ δὲ νεκροῦ ὄντος σώματος ἀλογεῖ, μόνον στοχαζόμενος, ἵνα μὴ ὑπὸ κακοῦ καὶ νεκροῦ συνδέτου πλημμελῆται τὸ ἄριστον, ἡ ψυχή.

P. 102 med. *quamquam cum divinis — facultatem habet.*] Quae Plato in fabula illis verbis: — ἐπὶ θύραις καὶ ἐν ὁδοῖς ὕπαιθριος κοιμώμενος . . . φρονήσεως ἐπιθυμητὴς . . . φιλοσοφῶν διὰ παντὸς τοῦ βίου fabulose declaravit, eadem διαλεκτικῶς expressa habes in Phaedone p. 66, B. ἕως ἂν τὸ σῶμα ἔχωμεν —

εἶναι τὸ ἀληθές: p. 66, E. *τότε, ὡς ἔοικεν — ζῶσι δὲ οὔ*: p. 67, E. *οὐ πολλὴ ἂν ἀλογία εἴη* — (p. 68, A.) — *οὐκ ἄσμενος εἶσιν αὐτόσε*; quo postremo loco *φρόνησις* tanquam divinae philosophi deliciae humanis vulgi opponitur: ceterum cum insequenti disputatione nostra usque ad p. 103 supr. conferas fontes platonicos in universa illa disputatione de philosophandi studio, unde locos supra excitatos depromsimus.

P. 102 inf. *omnem suavitatem . . . in hoc studio positam credit.*] Vid. Jo. Chrysost. Opp. ed. Savil. T. 1, p. 586, 28. *οὐ μικρὸν τοῦτο φιλοσοφίας εἶδος, τὸ εὐφραίνεσθαι ἐπὶ τῷ θεῷ κτλ.* est enim totus locus cognoscendus, quippe plenus sublimium sensuum. Pertinent huc etiam Plotini et Basilii M. loci, a me ad illustrandum exquisitum quendam usum verborum *εὐπαθεῖν* et *εὐφραίνεσθαι* allata in *Basilio Plotiniz.* p. 54.

P. 103 supr. *Est enim omnino amor discendi etc. etc.*] Cf. Philo Judae. Opp. ed. Mangei. T. 1, p. 381. *ἡ ἐπιστήμη — καταθεᾶται τὰ ὄντα καὶ οὐδὲν οὔτε παρορᾷν οὔτε παρακούειν ὑπομένει κτλ.* p. 470. *τὸ φιλομαθὲς ζητητικὸν καὶ περίεργόν ἐστιν φύσει κτλ.*

P. 103. *Et si quando philosopho amori — vix paranda esse.*] Cf. haec in eandem dicta sententiam ap. Philon. Opp. ed. Mang. T. 1, p. 228. *ἐπιτείνων οὐκ ἀνήσει τὸν πόθον, ἀλλὰ καὶ γνοὺς, ὅτι δυςθηράτου, μᾶλλον δὲ ἀνεφίκτου πράγματος ἐρᾷ, ὅμως ἐπαγωνιεῖται, μηδὲν συντόνου σπουδῆς ἀνιείς*: p. 229. *εἶδεν, ὅτι ἐπὶ τὴν δυςαλώτου πράγματος θήραν ἀναδέδυκεν, ἐξαναχωροῦντος ἀεὶ καὶ μακρὰν ἀφισταμένου καὶ φθάνοντος ἀπείρῳ τῷ μεταξὺ διαστήματι τοὺς διώκοντας* (quae tantum non descripsit Clem. Alex. Strom. 2, p. 431, Pott. *ἀνάγει δὲ ἡ τούτων μάθησις — ἐπὶ τὸν ἡγεμόνα τοῦ παντὸς, δυςάλωτόν τι χρῆμα καὶ δυςθήρατον, ἐξαναχωροῦν ἀεὶ καὶ πόῤῥω ἀφιστάμενον τοῦ διώκοντος*): T. 2. p. 415. *ὁ ἀσκητὴς — μηδένα πόνον ἢ κίνδυνον παρελθὼν, εἴπως δυνηθείη τὴν ἀξιέραστον ἀλήθειαν ἰχνηλατῆσαι.*

P. 104 med. *ut non raro, quocunque esset in loco, secedere — soleret.*] Huc pertinent, quae de solitudine, tanquam egregio philosophandi instrumento, disputarunt scriptores, a nobis in Basilio Plotiniz. p. 19 sq. laudati, in his praecipue Plutarchus fragm. ex lib. De Tranquill. ap. Wyttenb. T. 5, p. 555. *σοφὸν ἔοικε χρῆμα τὸ τῆς ἡσυχίας κτλ.**) De singulari illo in Socrate solitudinis propter philosophiam amore, quem Plato in Convivio duobus locis, a nobis p. 104 laudatis, celebravit, sigillatim comparandus est auctor libri *Cosri* p. 153 ed.

*) Egregium locum tantum non descripsit Miltonus in Como carmine ap. Hurdium in Horat. ep. ad Pison. T. 2, p. 265 vers. german.

Buxtorf: «(Sapiens) solitariam vitam agendo unitur cum consortio angelorum, unde non molesta ipsi est vita solitaria et anachorismus; illi enim sunt sodalitium eius; quinimo odit multitudinem et frequentiam populi, quia vacuus est a cura rerum mundi huius inferioris, et plenus visione et contemplatione regni coelorum, quod non indiget cibo et potu. Qui ita sunt comparati, illis competit solitudo perfecta: mortem desiderant, quia pervenerunt ad summum gradum, quo maiorem et altiorem sperare non possunt. Sapientes amant solitudinem, ut purificentur et defaecentur cogitationes ipsorum, ad gignendas ex opinionibus suis veras consequentias, — quo sic pertingant ad veram cognitionem eorum, quae ipsis erant dubia; simul tamen amant aliquando congressum discipulorum, cum quibus ingenium et memoriam exerceant, sicuti scilicet qui oberrat in conquirendis divitiis, odit aliorum conversationem et commercium, quam eorum, cum quibus negotiari possit lucri faciendi causa. *Hic fuit Socratis gradus et eius similium.*» Haec de Socrate statuenti auctori Judaeo quin ante oculos versati sint loci e Platonis Convivio a nobis in medium allati, dubitari omnino nequit; quo magis locum integrum adscribendum duxi.

P. 104 inf. *ut ille ait*] Horatius Carm. 3, 3, 4, in argumento diverso.

P. 104 inf. *narrat, eum etc.*] Vid. Symp. p. 220, C. cuius loci in argumento referendo nos Gellianis, inde haustis, Noct. Att. 2, 1. usi sumus.

P. 104 extr. *Usque adeo etc.*] Sunt isti versus ex Dan. Heinsii poemate De Contemtu Mortis, lib. 1, p. 267, eo loco, ubi ipsum illud Socratis philosophantis fortiter factum ex Symposio refertur et versibus egregiis explicatur, quorum nos partem tantam attulimus. In eandem sententiam de duobus quos attigimus Convivii locis disputat Schubertus: Gesch. der Seele p. 500 ed. 2dae: «Fürwahr, wenn Sokrates, nach jener Erzählung, welche Plato dem Alcibiades in den Mund legt, mitten im Geräusch des Feldlagers von einem so tiefen, innigen Nachsinnen ergriffen worden, dass er unbeweglich, von einem Morgen zum andern an einem Orte gestanden, bis ihn die wieder aufgehende Sonne zum Gebet erweckte; wenn derselbe ein ander Mal, in dasselbe Nachdenken versunken, auf dem Wege zum fröhlichen Gastmahle stehen blieb, bis die Gäste das halbe Mahl verzehrt hatten: so konnte der Gegenstand, der ein solches tiefes Staunen [und Nachdenken] erregte, kein anderer sein, als jenes Göttliche, dem der fromme Denker bis zu seinem letzten Hauche innig angehangen und gedient hatte.» Pulcre, bene, recte! Pluribus de hac re in Commentario ad Plat Symp. p. 220, C, D. disputabimus post Hermannum: System der platon. Philos. T. 1,

p. 256 et p. 522, qui saltem Schubertum negligere non debebat.

P. 105 supr. *δαιμόνιος amoris vis, qui — conjungit.*] Vid. Plat. Sympos. p. 202, E. 203, A.

P. 105 supr. *Etenim quemadmodum etc. etc.*] Quivis lector paulo humanior statim sponte intelliget, me meo quodam jure in usus meos convertisse egregium illum locum ap. Senec. ep. 41: «Quemadmodum radii solis — nostris tanquam melior interest.» Fons nostrorum: «divinus philosophus — haeret» apud Plat. Phaedr. p. 249, C. *διὸ δὴ δικαίως — θεῖός ἐστι*, Theaet. p. 162, E. *τῷ ὄντι τὸ σῶμα αὐτοῦ κτλ.* Cum insequentibus: *illinc, unde descendit, pendet* etc. conf. Macrob. in S. S. 1, 9. «anima virtutes ipsas conscientia nobilitatis induitur . . . nec deseruisse unquam coelum videtur, quod respectu et cogitationibus possidet.» Add. Jo. Chrysost. Opp. ed. Savil. T. 1, p. 523: *ἄνθρωπος, θεῷ παιδευθεὶς διαλέγεσθαι, ὡς εἰκὸς τὸν τῷ θεῷ διαλεγόμενον, ἄγγελος ἔσται λοιπόν· οὕτως ἀπολύεται τῶν δεσμῶν τοῦ σώματος ἡ ψυχή· οὕτω μετάρσιος αὐτῷ γίνεται ὁ λογισμός· οὕτω μετοικίζεται πρὸς τὸν οὐρανόν*: Id. T. 5, p. 501. *τὸν νήφοντα καὶ ἐγρηγορότα καὶ ζέοντα πόθον ἔχοντα περὶ τὸν θεὸν οὐδὲν κωλύσαι δυνήσεταί ποτε τῆς πρὸς τὸν δεσπότην συνουσίας. — ἔνθα γὰρ ἂν ἡ διάνοια νήφουσα, πτεροῦται ὁ λογισμὸς καὶ ἀπαλλάττεται, ὡς εἰπεῖν, τοῦ συνδέσμου τοῦ σώματος καὶ πρὸς τὸν ποθούμενον ἀνίπταται καὶ τῆς γῆς ὑπεροράᾳ καὶ τῶν ὁρωμένων ἀνωτέρω γενόμενος πρὸς ἐκεῖνον ἐπείγεται.* Euseb. Dem. Evang. 1, 8, p. 29, C. ex duobus, quos Christi ecclesia commendet vivendi modis, alterum esse dicit *ὑπερφυῆ καὶ τῆς κοινῆς* (male vulg. *καινῆς*) *καὶ ἀνθρωπίνης πολιτείας ἐπέκεινα — ὅλον δὲ δι' ὅλου τῆς κοινῆς καὶ συνήθους ἁπάντων ἀνθρώπων ἀγωγῆς παρηλλαγμένον καὶ μόνῃ τῇ τοῦ θεῶν θεραπείᾳ προςῳκειωμένον καθ' ὑπερβολὴν ἔρωτος οὐρανίου.* (D.) *οἱ δὴ τόνδε μετιόντες τὸν τρόπον, τῶν θνητῶν βίον τεθνάναι δοκοῦντες* (l. *τὸν θνητὸν β. τ. δ.*) *καὶ αὐτὸ μόνον τὸ σῶμα φέροντες ἐπὶ γῆς, φρονήματι δὲ τὴν ψυχὴν εἰς οὐρανὸν μετενηνεγμένοι, οἷά τινες θεοὶ τὸν τῶν ἀνθρώπων ἐφορῶσι βίον κτλ.* Postrema huius loci, quem tanquam ineditum A. Maius in Nov. Coll. Vett. Scriptt. T. 1, p. 574 protulit, conferas cum Platonicis Sophist. p. 216, C. *οἱ . . . ὄντως φιλόσοφοι, καθορῶντες ὑψόθεν τὸν τῶν κάτω βίον* —.

P. 105 med. *humanis divina copulando*] Philo T. 2, p. 376. *ὁ σπουδαῖος — ἀθανάτου καὶ θνητῆς φύσεως μεθόριος.*

P. 105 med. *ut ait ille*] Persius, Sat. 2, 61. ubi scriptura *curvae in terras* (var. lect. *in terris*) unice commendatur loco gemino ap. Plat. Polit. 9, p. 586, A. *βοσκημάτων δίκην κάτω ἀεὶ βλέποντες καὶ κεκυφότες εἰς γῆν.*

P. 105 med. *Plato*] Phaedr. p, 250, D.

P. 105 med. *mentis nimirum oculis*] Cf. Jo. Chrysost. T. 1, p. 182. *οἱ — τῆς πίστεως ὀφθαλμοὶ κτλ.*: p. 219. *τοιοῦτοι οἱ τῆς διανοίας ὀφθαλμοί· πρὸς τὴν ἐκείνων* (*divinorum* nimir.) *θέαν διηνεκῶς ἀφορῶσι κτλ.*: p. 222. *ἐπειδάν τις πυρωθῇ τῷ πρὸς τὸν θεὸν πόθῳ κτλ.*: p. 786. *δυνατὸν ταύτην ἐπισπάσασθαι τὴν ῥοπὴν* (nim. *ἐκ θεοῦ*), *μόνον ἂν ἀποστήσας τις τῶν ἀνθρωπίνων ἐκείνης ἐξέχηται τῆς ἐλπίδος* (i. e. spei coelestis) *καὶ ὑψηλὰ βλέπῃ καὶ ὀξυδερκὲς ἔχῃ τὸ ὄμμα κτλ.*: Id. T. 5, p. 155. *deus ὀφθαλμοὺς ἐχαρίσατο πολλῷ τοῦ σώματος ὀξύτερον βλέποντας κτλ.* Adde nostra in *Basilio Plotinizante* p. 17 inf. sq. ubi de platonicis huius sententiae fontibus monuimus.

P. 105 inf. *cuius perpetua — sitis adurit.*] Cf. Clem. Alex. Quis Div. Salv. cap. 17. *πτωχεία μακαριστὴ μὲν ἡ πνευματικὴ κτλ.* ubi Christi effatum Evang. Matth. 5, 3. affertur, cui quae inest doctrina, a Platone fabula nostra adumbrata fuisse videtur Trautmanno Disp. de Fonte ac Fine Philos. Plat. p. 51, haud aliter ac alter locus a Clemente laudatus, Matth. 5, 6. a Bauro (*Sokrat. u. Christ.* p. 51 med.) adhibitus fuit ad declarandam interiorem naturam Amoris, quem fabula nostra repraesentat. Clementi adjungam, qui in iisdem Christi effatis explicandis et celebrandis versantur, Jo. Chrys. Opp. ed. Savil. T. 6, p. 640. *ὥςπερ οὐκ ἔστι μὴ διψῶντα καὶ πεινῶντα ἡδέως ἀπολαῦσαι τροφῆς, οὕτως οὐκ ἔστιν ἐντρυφῆσαι λόγῳ ἀληθείας, μὴ διψῶντας τοῦ ἁγίου πνεύματος τὴν διδασκαλίαν. διό φησιν ὁ σωτήρ· Μακάριοι οἱ πεινῶντες καὶ οἱ διψῶντες τὴν δικαιοσύνην, ὅτι αὐτοὶ χορτασθήσονται. ἡ ἀληθὴς τῶν ψυχῶν τροφὴ, ὁ ἀληθὴς τῶν εὐσεβῶν πλοῦτος ὁ τοῦ θεοῦ λόγος. — δεῖ τοίνυν ἡμᾶς διψᾶν τὰ θεῖα καὶ πεινᾶν τὰ οὐράνια καὶ ἔχειν ἄφθονον τὴν ἀπόλαυσιν*: Macar. Aegypt. Homil. 1, 12, p. 21. *πόνον — ἔχε περὶ τῆς πτωχείας σου κτλ.* 12, 3, p. 153 sq. 29, 7, p. 409. Adde eundem locis iis, ubi *ἔκπεινος* ad mentem divinae virtutis avidam transfert, Homill. p. 126 inf. (ubi *ἐκπεινοῦσαι* ex *ἔκπεινοι οὖσαι* depravatum), p. 222 supr., Opuscc. p. 167 inf. unde, uti ex insequentibus, Homilia 10, 1, p. 126 sq., quippe illinc hausta, haud uno loco emendari poterit.

P. 105 inf. *Sed nonne hic solus — esurit?*] Cf. Jo. Chrysost. Opp. ed. Savil. T. 3, p. 527. *κτησώμεθα τὸν πνευματικὸν* (*πλοῦτον* nimir.), *καὶ τοὺς ἐν οὐρανοῖς θησαυροὺς ἐπιζητήσωμεν κτλ.* T. 6, p. 465. *Παῦλος — τοῖς πλουσίοις ἐν τῷ νῦν αἰῶνι ἔδειξε καὶ ἑτέρους ὄντας πλουσίους — οὐ χρυσοῦ καὶ ἀργύρου καὶ τοιαύτῃ τινὶ φθαρτῇ καὶ ἐπικήρῳ πλούτων ὕλῃ, ἀλλὰ τοῖς ἀποῤῥήτοις ἐκείνοις ἀγαθοῖς, ἃ μήτε ὀφθαλμὸς εἶδε, μήτε οὖς ἤκουσε, μήτε ἐπὶ καρδίαν ἀνθρώπου ἀνέβη· τοῦτο γὰρ ἀληθῶς πλοῦτος καὶ εὐπορία, ὅταν καὶ ἀκήρατα ᾖ τὰ καλὰ καὶ μηδεμίαν δέχηται μεταβολήν*: id. T. 6, p. 676. *τί — ὄφελος ἀνθρώπῳ ἀλλότρια ἔχοντι*

καὶ τὰ ἑαυτοῦ οὐκ ἔχοντι; κτλ.: id. T. 6, p. 837. *ἀπὸ τοῦ ἁγίου πνεύματος, ὥςπερ ἀπό τινος εὐθαλοῦς καὶ γονίμου πηγῆς, πάντα πηγάζει τὰ θεῖα νάματα· — πάντα γὰρ ἐνεργεῖ τὸ ἓν καὶ τὸ αὐτὸ πνεῦμα — διὰ τοῦτο πάντα ἀπαστράπτει τὰ κάλλη τῆς εὐσεβείας, καὶ λάμπουσιν οἱ λόγοι τῆς ἀληθείας καὶ βρύουσι θησαυροὶ τῆς ἐνθέου σοφίας, θησαυροὶ οὐκ ἐν γῇ κατακρυπτόμενοι, ἀλλ᾽ ἐν τῷ βάθει τῆς εὐσεβείας θεωρούμενοι, θησαυροὶ ψυχὰς εὐφραίνοντες, ἐννοίας φωτίζοντες — πᾶσαν τοῦ Ἀδὰμ τὴν πτωχείαν πλουτίζοντες κτλ.* Adde quae idem doctor eccles. Opp. T. 1, p. 616 attulit ad explicanda verba Psalm. 41, 2. *ἐδίψησεν ἡ ψυχή μου πρὸς τὸν θεὸν τὸν ζῶντα.*

P. 106 supr. *Divitem — vir frugi*] Cum Platonicis istis ab Astio Annott. in Phaedr. p. 619 ante omnia comparanda erant Pindarica Pyth. 6 extr. *Νόῳ δὲ πλοῦτον ἄγει, ἄδικον οὔθ᾽ ὑπερόπλον ἥβαν δρέπων, σοφίαν δ᾽ ἐν μυχοῖσι Πιερίδων.*

P. 106 supr. *Eiusdem Socratis — vox —*] Vid. Xenoph. Mem. 1, 6, 10.

P. 106 med. *divinae sapientiae copia — nihil perit.*] Cf. Jo. Chrysost. Opp. ed. Savil. T. 5, p. 78. *εἰ οἱ περὶ τὰ χρήματα μαινόμενοι κτλ.*

P. 107 supr. *Jam vero robur — extimescit.*] Cf. Philo T. 1, p. 659 sq. *οἱ πρὸς ἀλήθειαν ἄνδρες σωφροσύνης καὶ κοσμιότητος καὶ αἰδοῦς ἐρασταὶ κτλ.*: Idem T. 1, p. 168. *τὸ τῆς ψυχῆς ὄμμα τῶν κατ᾽ ἀρετὴν πράξεων ὁτιοῦν ἀντιλαμβάνεσθαι ἀδυνατεῖ, μὴ προςχρησάμενον, ὥσπερ φωτὶ, συνεργῷ τῷ πόνῳ κτλ.* Clem. Alex. Strom. V, 13, p. 696 Pott. *τὸ ἐν ἡμῖν αὐτεξούσιον εἰς γνῶσιν ἀφικόμενον τἀγαθοῦ σκιρτᾷ τε καὶ πηδᾷ ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα, ᾗ φασὶν οἱ γυμνασταὶ κτλ.* (sunt enim insequentia non minus graviter dicta).

P. 107 med. *Et quum in periculis — se objiciet?*] Cf. Origen. c. Cels. lib. 6, p. 643, B (ad S. Paul. epist. ad Cor. 2, 4, 17 et 18) *βουλόμενος πρὸς τῇ ἐκείνων* (rerum divinarum) *θέᾳ γενέσθαι, ὑπὸ τοῦ πρὸς ἐκεῖνα πόθου βοηθούμενος πᾶσαν θλῖψιν τὸ οὐδὲν καὶ ἐλαφράν τινα ἐνόμιζεν εἶναι*: Jo. Chrysost. T. 1, p. 222. *ὁ — τοιοῦτος οὐ τὰ λαμπρὰ τοῦ βίου λοιπὸν ὁρᾷ, οὐ τὰ δυςχερῆ καὶ ἐνάντια κτλ.*: p. 250. *πάντων ἀνώτερος γίνεται ὁ τοῦ θεοῦ πόθος κτλ.*: p. 429. *ὅταν τρωθῇ τις τῷ πόθῳ τῆς ἀγάπης κτλ.* p. 763. *εἰ φοβερὸν τὸ πρᾶγμα* (nim. *ὁ θάνατος*) *εἶναι δοκεῖ, παρὰ τὴν ἀσθένειαν τῶν οὕτω διακειμένων κτλ.* in quibus imprimis ista ad nostram rem faciunt: *ὁ — ἐκείνῳ τῷ ἔρωτι* (nim. *divino*) *κατεχόμενος καὶ ταῖς ἐλπίσι τῶν ἀγαθῶν τρεφόμενος ἐκείνων, οὐδενὶ τῶν παρόντων βαπτίζεται δεινῶν, ὑπ᾽ οὐδενὸς τῶν ἐνταῦθα καθέλκεται λυπηρῶν*: T. 3, p. 70. *οὐκ ἔστιν οὐδὲν ὁ μὴ νικᾷ πόθος κτλ.* T. 5, p. 72, 5 — 10, p. 519, 35—40, p. 563. *ἂν ἡμεῖς ὁρῶμεν ἀεὶ τὸν θεὸν κτλ.*: T. 6, p. 146.

P. 109 med. *Venantur igitur etc. etc.*] Cf. Plutarch. Erot. p. 765, B, C, D, F, p. 766, A. Platonica ex hoc genere in Phaedro et Convivio cuivis paulo humaniori praesto erunt.

P. 110 supr. *perdite eius mentem amant — erudire gestiunt*] Cum istis sigillatim conferenda sunt, ex quibus ista hausimus, Platonica in Convivio p. 209, B. πάνυ δὴ ἀσπάζεται τὸ ξυναμφότερον κτλ. et praecipue p. 210, C. ὥστε, καὶ ἐὰν ἐπιεικὴς ὢν τὴν ψυχήν τις καὶ ἐὰν σμικρὸν ἄνθος ἔχῃ, ἐξαρκεῖν αὐτῷ καὶ ἐρᾶν καὶ κήδεσθαι —. Quibus quidem locis ea insunt, quae si paullo diligentius legisset Ramdohrius, non erat amorem erga juvenes generosos a Platone commendatum et celebratum Diotimae oratione accusaturus eius vitii, quod ipse his declaravit verbis: « Bei Plato ist die Liebe offenbar verfeinerter Egoismus und Beschauungswonne. » (*Venus Urania*, T. 3, p. 230 coll. p. 206). Quanto melius fuit Fenelonii judicium, qui Opp. T. 4, p. 369 ea de loco Convivii p. 180, B. θειότερον — ἐραστὴς παιδικῶν· ἔνθεος γάρ ἐστι pronunciavit, quae maiore etiam jure de locis supra laudatis praedicare poterat: « Voilà toute la delicatesse de l'amour le plus pur. Celui qui est aimé, et qui veut l'être, est occupé de soi; celui qui aime sans songer à être aimé, a ce que l'amour renferme le plus divin, je veux dire le transport, l'oubli de soi, le désinteressement. »

P. 110 med. *Tum igitur — aperiunt*] Lectores φιλοπλάτωνες statim intelligent, me hoc loco potissimum respicere ad illa Alcibiadis de Socrate verba Conviv. p. 216, D. ἔνδοθεν δὲ ἀνοιχθέντος κτλ. quibus verbis Socratis exemplo πρακτικῶς illustrantur, quae θεωρητικῶς Socratem a Diotima edoctum Plato finxit p. 209, B. πρὸς τοῦτον τὸν ἄνθρωπον εὐθὺς εὐπορεῖ λόγων περὶ ἀρετῆς κτλ. Cum insequentibus nostris: *Mox autem — deprehenderunt*, cf. Symp. p. 210, C. τίκτειν λόγους τοιούτους καὶ ζητεῖν, οἵ τινες ποιήσουσι βελτίους τοὺς νέους κτλ. et p. 215, C. ἡμεῖς γοῦν ὅταν μέν του ἄλλου ἀκούωμεν λέγοντος κτλ. qui posterior locus non minus quam quae p. 222, A. de Socratis sermonibus ab Alcibiade praedicantur, assecutum esse Socratem ostendunt, quae illum a Diotima edoctum Plato divinitus finxit. — Habes nunc accuratius explicata, quae annott. p. 110 inf. breviter docuimus.

P. 110 med. *Plato*] Vid. Phaedr. p. 247, A.

P. 111 supr. *Plato*] Vid. Symp. p. 209, A sqq.

P. 111 med. *Plato*] Vid. Symp. l. c.

P. 111 med. *Est autem pulcritudo — perficitur.*] Vid. Plat. Symp. p. 206, D.

P. 111 med. *Sed dum — obtinent.*] Conf. Themist. Orat. 32, p. 355, D — 356, B.

P. 112 inf. *quoties vel in semet ipso* — p. 113 supr. — *incedentem*] Cf. Plotin. 1, 6, 5, p. 55, F sq.

P. 113 supr. *nova particula desiderati divini patrimonii*] *Veritatis* nimirum et *rerum intelligibilium*: cf. Plutarch. Fragm. Libri De Anima, sect. 7, num. 17 ap. Wyttenb. vol. 5, p. 489 (ed. 4tae formae): ὅτι ἡ εὐφροσύνη ἐπὶ τοῖς εὑρήμασι δηλοῖ τὸν ἀναγνωρισμὸν τῆς ὅτι μάλιστα οἰκείας ἡμῖν ἀληθείας, ἐν τῷ μέσῳ χρόνῳ (nimir. *post vitam nostram coelestem*) οἷον ἀπολομένης: idem ibid. num. 30. ὅτι ἧ μὲν ὀρέγεται (*animus*) αὐτῶν (*rerum intelligibilium*), ἀπ' αὐτῶν· ἧ δὲ ἐνδεῖ, ἐκτὸς αὐτῶν. Sic enim redintegranda sunt, quae vulgo sic circumferuntur: ὅτι ἡ μὲν ὀρέγεται ἀπ' αὐτῶν, ἡ δὲ ἐνδεῖ ἐκτὸς αὐτῶν.

P. 113 supr. *toties — receptum videt.*] Cf. Philo ed. Mang. p. 298. ἦν ποτε χρόνος, ὅτε φιλοσοφίᾳ σχολάζων κτλ.: Seneca Natur. Q. lib. 1, Praefat. « Sursum ingentia spatia sunt » etc. etc.: Plotin. 4. 8, 1, p. 468, A. πολλάκις ἐγειρόμενος εἰς ἐμαυτὸν κτλ.*): Apuleii Herm. Trismeg. Adloc. ad Asclep. ed. Elmenhorst. p. 79, 10. « Hic (homo) in naturam Dei transit » etc. etc. p. 94, 1. « Pater omnium et dominus » etc. etc.: Damasc. ap. Suid. v. Ἑρμείας· — ἡ εὐζωΐα (i. e. ἀρίστη quam Aristoteles dicit διαγωγή) ἀναινομένη τὴν τοῦ σώματος φύσιν καὶ εἰς ἑαυτὴν ἐπιστρέφουσα καὶ συναισθανομένη τοῦ χωρισμοῦ καὶ ἀντίκρυς ἤδη τῆς ἀθανασίας.: Athanas. Opp. ed. Colon. T. 1, p. 3, A, B, C: Em. Palaeol. Orat. 5, p. 272 inf. Ex recentioribus conf. J. Richter. Selinae T. 2, p. 157: « Unsere grossen und erhebenden Stunden » etc. etc.: Schulz. Opp. Poëtt. T. 4, Eleg. 7, p. 115. « O, wenn dein Geist, nur im Gefühl versunken, sich kühn empor vom Staub der Erd' erhebt » etc. etc.: Müller. in: Philos. Aufsätze p. 101: « Man fühlt den Keim der Unsterblichkeit in sich, so oft das Herz » etc. etc.: Wendt. in Tschirn. Anal. Part. 2, p. 219. « Solche erleuchtete Augenblicke » etc. etc.: Schubert. Ansicht. von der Nachtseite der Naturwissenschaft, p. 511 ed. 2dae: « Dieses Sehnen aber ist es . . . . . und die Befreite kehrt fröhlich zurück in ihre Heimath. » id. ibid. « Aber die Augenblicke jener höhern Begeisteruug . . . . (p. 512) . . . für die beste und seligste Zeit des Lebens gehalten. »

P. 113 supr. *intraque se receptus*] Cf. Aristot. Eth. Nicom. 9, 4, 5. συνδιάγειν — ὁ τοιοῦτος (ὁ σπουδαῖος) ἑαυτῷ βούλεται· ἡδέως γὰρ αὐτὸ ποιεῖ· τῶν τε γὰρ πεπραγμένων ἐπιτερπεῖς αἱ μνῆμαι, καὶ τῶν μελλόντων ἐλπίδες ἀγαθαί· αἱ τοιαῦται δὲ

---

*) Ubi verbis ζωὴν ἀρίστην ἐνεργήσας, pariter ut illis 4, 3, 5, p. 375, D. ὅταν μάλιστα γένηται ἐν τῷ ἀρίστῳ, ad Aristotelis sententiam de ἀρίστῃ διαγωγῇ et de ἐνεργείᾳ divinae mentis respicitur; conf. Bieseum: Die Philos. des Aristot. T. 1, p. 482, 549.

ἡδεῖαι· καὶ θεωρημάτων δ' εὐπορεῖ τῇ διανοίᾳ. quem ad locum Eustratius fol. 151, *a*, εἰς ἑαυτὸν — ὁ σπουδαῖος ἐπιστρέφων, καὶ φῶς ἐνορῶν σταθερὸν καὶ καθαρὸν ἡμμένον τῶν ἀρετῶν, καὶ αἴγλην ἀπολάμπουσαν τῶν ἐπιστημῶν, ἐπιγηθεῖ καὶ ἀγάλλεται. ἥ τε τῶν πεπραγμένων αὐτῷ μνήμη, καὶ αἱ τῶν μελλόντων ἐλπίδες τέρπουσί τε καὶ εὐφραίνουσι καὶ — ἑαυτῷ προςομιλεῖν καὶ τῇ τῶν ὄντων θεωρίᾳ προςμένειν ἀναπείθουσι.

P. 113 med. *cum interdum in media hac — sentiat*] Cum his uti cum proximis conferantur praeclara illa Goethiana in Fausto dramate (Opp. ed. postr. T. XLI) p. 7: « So ist es also, wenn ein sehnend Hoffen — » etc. etc. Cum insequentibus nostris: *si quidem — incutit*] cf. Richteri verba Opp. T. 41, p. 103: « Gerade dann, wenn dieses Leben am reichsten austheilt —, gerade dann, wenn das Leben unsere höchsten Wünsche ausfüllt, da erscheint das fremde Sehnen am stärksten » etc. etc.

P. 113 med. *tum saepenumero — restinguatur.*] Huc pertinet Aristot. Metaphys. lib. 11 (12), 7. διαγωγὴ δέ ἐστιν, οἵα ἡ ἀρίστη, μικρὸν χρόνον ἡμῖν, et paucis interjectis, ἡ θεωρία τὸ ἥδιστον καὶ ἄριστον. εἰ οὖν οὕτως εὖ ἔχει, ὡς ἡμεῖς ποτε, ὁ θεὸς ἀεί, θαυμαστόν. ad quae Alexander Aphrodis. Cod. Monac. 81, fol. 386, *a*. διαγωγὴ δέ ἐστιν οἵα ἡ ἀρίστη μικρὸν χρόνον ἡμῖν (,) ὁ ἡμέτερος νοῦς (,) δυνάμει ὢν τὰ νοητὰ (,) ὅταν ἐκ τῆς ἄκρας ἐπιστήμης καὶ τῆς ἄγαν εὐζωίας ἐνεργεία (l. εία) γένηται τὰ νοητὰ (,) ὅτε ζῶμεν τὴν ἀρίστην (*b*) καὶ μακαριωτάτην καὶ πάσης ἡδονῆς ἐπέκεινα ζωὴν (,) ἥ τις λόγῳ μέν ἐστιν ἀνερμήνευτος (,) γινώσκεται δὲ τοῖς τὸ μακάριον τουτὶ ποθοῦσι (l. παθ.) πάθος. λέγει οὖν, ὅτι οἵα ἐστὶν ἡ ἀρίστη ἡμεν (l. ἡμῖν) διαγωγὴ ἐπὶ μικρὸν χρόνον (,) οὐ γὰρ ἀεὶ (,) ἀλλ' ὅταν ἐνεργεία (l. εία) γένηται ὁ ἡμέτερος νοῦς τὰ νοητά, ταύτην τὴν ζωὴν ἔχει τὸ πρῶτον αἴτιον. Porro conf. Plotin. 4, 8, 1, p. 468, B. — μετὰ ταύτην τὴν ἐν τῷ θείῳ στάσιν, εἰς λογισμὸν ἐκ νοῦ καταβὰς, ἀπορῶ, πῶς ποτε καὶ νῦν καταβαίνω —. Ex recentioribus hanc rem attigit Schubertus *Hist. Animi Hum.* §. 59, p. 867 ed. 2dae ubi de animo, mortalitatis vinculis exuto, loquitur: « Dann wird nicht mehr, wie vorhin, dem ewigen Sehnen der Brust die bald ermattende, bald ergrauende Kraft des Tithon, nicht dem übermächtigen, nach oben gerichteten Wollen des Geistes die Unmacht des Fleisches vermählt. »

P. 113 med. *Quod ubi sentit — exarescit!*] Cf. S. Bernhard. De Caritate cap. 2, 9. Opp. ed. Bened. vol. 2, p. 594, B, C. « Sed quanto putas stupore perfunditur anima, subtracta illa dulcedine » etc. etc. Id. De Carit. cap. 7, 32 « cum praesto est, quod amatur, viget amor » etc. etc. quae totidem fere verbis reperiuntur in Idiotae s. Raymundi Jordani Contemplatt. de

de Amore Div. cap. 1, §. 1, p. 338 post Confess. Augustini ed. Col. Agripp. 1649. Ex recentioribus cf. egregium ex Gallis poetam, Lamartinum, carmine de Homine: « Malheur à qui du fond de l'exil de la vie Entendit ces concerts d'un monde, qu'il envie! » etc. etc. Sed nemo melius in hoc argumento describendo versatus est, quam Goethius ille, cuius conferatur *Faustus* (Opp. ed. postrem. T. 12), p. 40: « Ich Ebenbild der Gottheit, das sich schon ganz nah' gedünkt dem Spiegel ew'ger Wahrheit — » etc. etc. et paulo post: « Dem Herrlichsten, was auch der Geist empfangen — » etc. etc. deinde p. 65: « Aber ach! schon fühl' ich, bei dem besten Willen — » etc. etc. tum parte secunda (Opp. T. 41) p. 7: « So ist es also, wenn ein sehnend Hoffen — » etc. etc.

P. 113 med. *Ut oppressus — sibi videtur!*] Hanc inopiae conscientiam penitus enunciavit Hamannus apud Jacobium Opp. T. 1, p. 131: « Unsere Gedanken sind nichts als Fragmente. Unser Wissen ist Stückwerk. Die sichtbare Welt muss dem zum Himmel erschaffenen Geiste eine Wüste scheinen » etc. et ipse Jacobius Opp. T. 1, p. 366 sq.: « Wir insgesammt, an Geist reicher oder ärmer, höher oder geringer, mögen es angreifen, wie wir wollen, wir bleiben abhängige, dürftige Wesen, die sich durchaus Nichts selbst geben können » etc. etc. Add. Haseum in Gnosi, T. 1, p. 230 sq. « Wenn in der Armuth des Lebens sich der höhere Menschengeist gar nicht einmal auf sich besinnen kann — » etc. etc. in quibus imprimis attende ad primam Jacobii ad Herderum epistolam p. 231.

P. 113 med. *Ut sibi displicet, qui — assecutus sit!*] Cf. Clem. Alex. Strom. lib. 7, 75, p. 877 Pott. *οὗτος (ὁ γνωστικός) ἐργάτης εὔθετος, χαίρων μὲν ἐφ' οἷς ἔγνω, συστελλόμενος δὲ ἐφ' οἷς ἐπεγκυλίεται τῇ τοῦ βίου ἀνάγκῃ, μηδέπω καταξιούμενος τῆς ὧν ἔγνω ἐνεργούσης μεταλήψεως.* Cum istis nostris *qui assecutus . . . sit* sigillatim conf. Philo T. 1, p. 689. *ὁ — προκόπτων οὔτε ἐν τοῖς τεθνηκόσι τὸν ἀρετῆς βίον ἐξετάζεται, πόθον καὶ ζῆλον ἔχων τοῦ καλοῦ, οὔτε ἐν τοῖς* (p. 690) *μετὰ τῆς ἄκρας καὶ τελείας ζῶσιν εὐδαιμονίας· ἔτι γὰρ πρὸς τὸ πέρας ἐνδεῖ, ἀλλ' ἑκατέρων ἐφάπτεται.*

P. 115 inf. *necesse est — inopia effici.*] Cf. Philo T. 1, p. 266. *οὐδὲν οὕτως ἐμπόδιον πρὸς αὔξησιν τῆς σοφίας ὡς ἡ σαρκῶν φύσις κτλ.* Eustrat. in Aristot. Eth. Nicom. lib. 7, fol. 85, *b.* supr. *ἡ — ψυχὴ συνδεδεμένη τῷ σώματι κτλ.* et fol. 86, *a,* *τῇ — ψυχῇ συνδεδεμένῃ ὕλῃ καὶ σώματι κτλ.* Em. Palaeol. Or. 5, p. 272 inf. *διὰ — τὸ ἐπιπροσθοῦν ἤδη σῶμα τῇ τῆς ψυχῆς θεωρίᾳ κτλ.* Fons ap. Plat. Phaedon. p. 65, A sqq. ubi Wyttenbach. p. 150 sq. ed. Lugd.

P. 113 extr. *omnem dignitatem* — p. 114 supr. — *ex mortali corpore*] Id *μυθικῶς* sic declaravit Plato Symp. p. 204, B. *πατρὸς μὲν — σοφοῦ ἐστι* (Amor) *καὶ εὐπόρου, μητρὸς δὲ οὐ σοφῆς καὶ ἀπόρου.* Quae in Phaedone de argumento eodem *διαλεκτικῶς* disputantur, cuivis paullo humaniori notissima erunt.

P. 114 supr. *amarum quidem etc. etc.*] Cf. Philo Jud. T. 1, p. 471. *τῷ ἀνενδότῳ καὶ ἀκαμπεῖ καὶ στεῤῥῷ καὶ ἀῤῥαγεστάτῳ παιδείας πόνῳ τὸν μέλλοντα ἔσεσθαι τέλειον ἀναγκαῖον κεχρῆσθαι.* T. 2, p. 162. *πικρὸν καὶ ἀντιτυπὲς καὶ σκληρὸν ὁ πόνος, ἐξ οὗ φύεται τἀγαθὸν κτλ.*

P. 114 med. *Solet etc.*] Ovidiana, Metam. 7, 81 sqq.

P. 114 med. *Sic ipse ille dolor — sagacius.*] Cf. Schuberti Historiam Animi Humani §. 58, p. 612 ed. 1: « An der Natur des Menschen erscheinen die — neu belebenden Momente des innern Wesens öfter als ein Entzogenwerden der Kraft des eignen, selbstthätigen Wirkens » etc. etc.

P. 114 med. *Atque ista vicissitudine — continetur.*] Vid. Philo T. 1, p. 642. *φύσει ἀνώμαλον πρᾶγμα ἄσκησις* (nim. *τῆς ἀρετῆς*) *κτλ.* In hoc argumento explicando versatur egregius locus ex Susonis libro Divinae Sapientiae, a me ex cod. ms. Heidelbergensi in medium allatus in libello, quod inscribitur: Lesefrüchte altteutscher Theol. u. Philos. (Bernae ap. C. A. Jennium, 1838), p. 3 — 5 ubi conferas quae pagina extrema et insequenti annotavi. Adde Schuberti Historiam Animi Humani, ed. 2, §. 51, p. 483: « dem Loos einer solchen Verwandlung » etc. etc.

P. 114 inf. *Nimirum — cunctantior.*] Cf. Anselm. Cantuar. Meditatt. de Redempt. Gener. Hum. cap. 3, §. 1: « Gloria mea, Deus, abscondis thesaurum tuum, ut incites cupidum; recondis margaritam, ut augeas quaerentibus amorem; *differs dare, ut doceas petere* » etc. etc.: id. ibid. §. 2: « Sic enim Deus meus, misericordia mea, absconderis timentibus te, ut inveniaris sperantibus in te; sic *elongaris quaerentibus, ut appropinques perseverantibus.* » Eadem sententia verborum H. Susonis, quae ex cod. ms. Heidelberg. retuli in libellum paullo ante laudatum p. 11 sq. Confer ibidem p. 14 geminos locos, e Gregorio Nazianzeno a me allatos.

P. 114 inf. *Sed quas* — p. 115 supr. — *prorsus absoluta est.*] Cf. Schubertum: Ansichten der N. v. d. Nachtseite der Naturwissensch. Praelect. 14 extr.: « Dem Triebe, der in diese Region hinein (nim. in regionem rerum visibilium) seine Wurzel treibt, bleibt daher endlich nichts übrig, als der immer neue und zuletzt, wenn das nicht mehr zureichende Gehäuse von innen heraus zersprengt ist, nicht mehr zu lindernde (täuschende) Hunger » et in Historia Animi Humani, §. 49, p. 747 ed. 2dae:

« Vergebens suchet — dieses Sehnen (nim. infiniti desiderium) nach der Ueberkleidung mit einem andern, höhern Leibe, denn dieser wandelbare und vergängliche ist, sein Genügen in irgend einem Leiblichen » etc. etc.

P. 115 supr. *In amore autem — relata penuria est.*] Cf. Philo T. 1, p. 96. *ἐξαρκεῖ — πρὸς μετουσίαν ἀγαθῶν καὶ ψιλὸν τὸ ζητεῖν (τὸν θεὸν) μόνον. ἀεὶ γὰρ αἱ ἐπὶ τὰ καλὰ ὁρμαὶ, κἂν τοῦ τέλους ἀτυχῶσι, τοὺς χρωμένους προευφραίνουσι*: p. 185. *ὁ περὶ ἀγαθῶν καὶ καλῶν τελείων πόνος κἂν ὑστερίζῃ τοῦ τέλους, ἱκανὸς ἐξ ἑαυτοῦ προωφελῆσαι τοὺς χρωμένους*: Jo. Chrysost. Opp. T. 5, p. 215. *παιδεύσωμεν τὴν διάνοιαν λοιπὸν τῶν μειζόνων μὴ ἐπιθυμεῖν, τοῦ πλείονος μὴ ἐπορέγεσθαι, καὶ ἐν μὲν τοῖς οὐρανίοις μηδέποτε ὅρον ἐχέτω ἡ ἐπιθυμία τοῦ πλείονος, ἀλλ' ἀεὶ τοῦ πλείονος ἕκαστος ὀρεγέσθω· ἐπὶ δὲ τῆς γῆς τῆς χρείας ἕκαστος ἔστω καὶ τῆς αὐταρκείας καὶ μηδὲν πλέον ζητείτω, ἵν' οὕτω δυνησώμεθα τῶν ὄντως ἀγαθῶν ἐπιτυχεῖν.* Adde ex recentioribus Jacobium Operum T. 6, p. 203: « Ein Ding der Zukunft ist der Mensch, und streben muss er unaufhörlich! Auf dem Pfade des *wahren Guten* aber findet er bei den Freuden der Hoffnung auch die Ruhe des Genusses. Für die Ewigkeit geschaffen, aber aus endlicher Natur! »: et Schubertum l. supra laudato post verba allata sic disputantem: « Anders dagegen, wo der nach Sättigung strebende Trieb über die Region des Scheines hinauf in die des Seyns und des Wesens geht und diese da ergreift, wo sie ihm allein Nahrung und Lebensspeise werden kann. Diese Speise trägt andere Früchte, als die des Scheines, ein immer höheres, besseres Leben des innern, auf's Unvergängliche gerichteten Triebes. Und obgleich es auch hier die Sehnsucht ist, welche die Flügel giebt zum Fluge von hinnen; so findet diese Sehnsucht doch da, wo sie hineilt, nicht neuen, nun nicht mehr zu sättigenden Hunger, sondern Genügen, Fried' und Freude. »

P. 115 supr. *Nam qui semel — omnibus opibus veneris*] Cf. Philo T. 1, p. 104. *ὁ — νοῦς ὅταν — πάντων τῶν ταπεινῶν καὶ ἀγόντων ἐπὶ τὰ θνητὰ ἀποστὰς μετεωροπολῇ κτλ.*: p. 259. *σπόπει τὰς πρὸς βελτίωσιν ἐπιτάσεις τῆς ἀπλήστου καὶ ἀκορέστου τῶν καλῶν ψυχῆς κτλ.*: p. 541. *οἱ προσωτέρω χωροῦντες τῶν ἐπιστημῶν καὶ ἐπὶ πλέον ἐμβατεύοντες αὐταῖς ἀδυνατοῦσι τοῦ τέλους ἐπιψαῦσαι κτλ.* (in quibus Socratis dictum *id unum se scire, nil se scire* profitentis laudatur): p. 621. *τὰ τέλη τῶν ἐπιστημῶν οὐ δυσεύρετα μόνον ἀλλὰ καὶ ἀνεύρετα κτλ.* (in quibus p. 622 Theophrasti morientis dictum laudatur): Plutarch. de Sent. Prof. in Virt. p. 77, B, C. *καθάπερ ἔρωτος ἀρχομένου σημεῖόν ἐστι οὐ τὸ χαίρειν τῷ καλῷ παρόντι κτλ.* usque ad illa: *ὅσῳ — πλέον ἐστὶ τὸ προσειλημμένον ἐκ φιλοσοφίας, τοσούτῳ μᾶλλον ἐνοχλεῖ*

τὸ ἀπολειπόμενον: Macar. Aegypt. Homil. ed. Prit. 10, 1, p. 126 sq. 12, 3, p. 153 sq. 15, 37, p. 221 sq. 29, 7. p. 409 sq.: id. De Charit. cap. 3 in Opuscc. ed. Prit. p. 157 sq. et cap. 25, p. 167 sq. (ubi laudatur Sirac. 24, 29. οἱ τρώγοντές με ἔτι πεινάσουσι καὶ οἱ πίνοντές με ἔτι διψήσουσιν) quos Macarii locos legant et relegant, qui quid socraticae et platonicae cum philosophia christiana intercedat communionis pernoscere cupiunt. Porro cf. Basil. M. Homil. de Struct. Hom. cap. 2, p. 338, F. ἡμῖν καὶ τοῖς λογικοῖς (λεγόμενον) τό· αὐξάνεσθε, κατὰ τὸν ἔσω ἄνθρωπον, κατὰ τὴν προκοπὴν τὴν εἰς θεὸν ἀνάγουσαν κτλ. (in quibus ad Pauli Ep. ad Philipp. 3, 14 respicitur): idem Opp. T. 2, p. 362, A. ἀρετῆς — ἡ κτῆσις — καὶ πλεονεξία ἐπαινετὴ — καὶ ἀπληστία στεφανουμένη: Gregor. Naz. Orat. 1, p. 32, A, (ubi sapientiae studiosi cum Tantalo comparantur) Or. 34, p. 551, B, C. 42, p. 677, D.: Jo. Chrysost. Opp. T. 1, p. 781. ἡ ἐκεῖ (nim. εἰς ἀρετὴν) φέρουσα ὁδὸς ἀναβαθμοῖς ἔοικε κτλ. T. 2, p. 179. ἡμεῖς — ὅσῳ ἂν πρὸς ἀρετὴν ἐπιδῶμεν, τοσούτῳ μᾶλλον ἑαυτοὺς συντρίψωμεν κτλ. T. 5, p. 15, 25 sqq. p. 68 (ad S. Paul. Epist. ad Philipp. 3, 14), p. 379 (ubi ad Ev. Matth. 11, 12 respicitur), p. 455, 9 sqq. T. 6, p. 664, 28 sqq.

P. 115 supr. *fugaque — evehit*] De *fuga*] ista cf. *Scholl.* ad p. 98 supr.

P. 115 med. *quae .. extra te vere vivunt et vigent.*] Eorum nomine, *quae extra nos sunt*, res invisibiles et coelestes haud raro cum apud veteres, tum apud recentiores significari docuimus in opusculo, quod inscribitur: *Lesefrüchte altteutscher Theol. u. Philos.* (Bern. 1838. 8°), p. 11.

P. 115 med. *Tanta est autem — virtutis evadens*] Vid. Plat. Sympos. p. 212, B. ubi Socrates, relata Diotimae oratione, qua se persuasum dicit, ita loqui pergit: πεπεισμένος δὲ πειρῶμαι καὶ τοὺς ἄλλους πείθειν, ὅτι τούτου τοῦ κτήματος (nim. beatitatis aeternae) τῇ ἀνθρωπείᾳ φύσει συνεργὸν ἀμείνω Ἔρωτος οὐκ ἄν τις ῥαδίως λάβοι. διὸ δὴ ἔγωγέ φημι χρῆναι πάντα ἄνδρα τὸν Ἔρωτα τιμᾶν, καὶ αὐτὸς τιμῶ τὰ ἐρωτικὰ καὶ διαφερόντως ἀσκῶ, καὶ τοῖς ἄλλοις παρακελεύομαι, καὶ νῦν τε καὶ ἀεὶ ἐγκωμιάζω τὴν δύναμιν καὶ ἀνδρείαν τοῦ Ἔρωτος —. quo quidem loco Socrates divinam illam vim, qua animi virtus continetur et qua ille ad beatitatis cum immortalitate conjunctae amorem rapitur, tanquam numen quoddam intermedium *Amoris* dæmonis nomine celebrat ob id ipsum, quod vis illa neque mortali natura continetur, neque vero, etsi reapse divina est, non cum mortalis naturae inopia cognata est. Quid? quod Plato Socratis ore h. l. *Amorem* istum mortali hominum naturae unicum beatitatis immortalis συνεργὸν nuncupat, non quasi *Amor* intelligendus sit nescio quod numen intermedium

extra hominis naturam positum (qui Plotini aliorumque recc. Platonicorum error fuit): sed quod ipsa illa amoris vis, humano animo divinitus insita, in mortali ista humilitate nostra profecto numinis vim habet atque, si Socratis exemplo rite colatur sanctisque studiis exercitetur et ad sublimia dirigatur (conf. ista, *καὶ αὐτὸς τιμῶ τὰ ἐρωτικὰ καὶ διαφερόντως ἀσκῶ* —), non possit non hominem ad immortalis illius beatitatis possessionem perducere (conf. pag. 81 med. collatis ad eum locum Scholiis). Ac satis nunc patet, verba illa, *τὴν δύναμιν καὶ ἀνδρείαν τοῦ Ἔρωτος*, accipienda esse de invicta illa ac nunquam fatigata strenuitate, qua amoris vis, divinitus nobis insita, modo mortalibus nugis eam non perverti patiamur, animum humanum, a parvis progressum initiis, ad immensam illam beatitatis immortalis possessionem aufert atque evehit. Divina ista animi humani, imo amoris, qui illi insitus est, divini fortitudo ut extrema Diotimae oratione pulcerrime expressa atque celebrata est, ita eadem gravissime declaratur verbis illis p. 211, B. *τοῦτο γάρ δή ἐστι τὸ ὀρθῶς ἐπὶ τὰ ἐρωτικὰ ἰέναι . . . ἕνεκα τοῦ καλοῦ ἀεὶ ἐπανιέναι κτλ.* coll. p. 210, E. *οὗ δὴ ἕνεκεν καὶ οἱ ἔμπροσθεν πάντες πόνοι ἦσαν.* Quid? quod *μυθικῶς* Plato rem candem significavit p. 203, D. *κατὰ δὲ αὖ τὸν πατέρα ἐπίβουλός ἐστι τοῖς καλοῖς καὶ τοῖς ἀγαθοῖς, ἀνδρεῖος ὢν καὶ ἴτης καὶ σύντονος* —. Quemadmodum enim ista, *ἀνδρεῖος . . . σύντονος*, si ad amoris naturam referantur eam, quam Plato verbis *δεινὸς γόης καὶ φαρμακεὺς καὶ σοφιστὴς* significavit, animum humanum perverso amori deditum et *θυμὸν* in eo cum *ἐπιθυμίᾳ* falsis bonis intentum declarant*); ita eadem *θυμὸν* cum *νῷ* summis studentem exprimunt, ad amoris naturam si ea referas, quam Plato, illum *φρονήσεως ἐπιθυμητὴν* nuncupans et *φιλοσοφοῦντα διὰ παντὸς τοῦ βίου*, nobis ante oculos quasi posuit. Atque istam philosophi amoris fortitudinem divinitus depinxit poeta *πλατωνικώτατος* Ern. Schulzius Opp. Poëtt. T. 4, Eleg. 7, p. 119: « Fort strebt der Mensch mit brennendem Verlangen, Die Sehnsucht stirbt in seinem Busen nicht — » etc. etc. (sunt enim insequentia apud ipsum cognoscenda). — Ceterum cum istis nostris p. 115 med. *qui bene illum habet* confer quae diximus p. 81 med. *Male si eum habemus* etc. quibus quae praemittuntur *Prout—tractat* in usum nostrum traduximus ex Senecae ep. 41: « sacer intra nos spiritus sedet —: hic prout a nobis tractatus est, ita nos ipse tractat. »

---

*) Hoc ipso sensu *ἔρως* in Timaeo in mortalibus humani animi affectibus refertur, p. 69, D. — *θυμόν δυσπαραμύθητον, ἐλπίδα τ' εὐπαράγωγον αἰσθήσει τε ἀλόγῳ καὶ ἐπιχειρητῇ παντὸς ἔρωτι.* quae equidem nunquam credam edito Symposio a Platone scripta fuisse.

P. 115 med. *inexplebili cupiditate raptus*] Cf. Withofius in egregio illo ap. Herderum (Briefe, das Studium der Theol. betreffend) carmine:

Siehe, von Deiner Güte, von Deiner Wahrheit, da nahmst Du
Einen der Tropfen und mischtest ihn ein in die Seelen der
Menschen,
Dass er Quell ihnen sei und immerwährende Nahrung,
Und in mancherlei Bild, in manchen Gestalten und Arten,
Trüber und heller und stets nach jedes Weise verändert,
Immer getragen in sich, die Quelle des süssesten Friedens
Und der bittersten Schwermuth, der Stachel höhern Ver-
langens —
Immer durstend nach Mehrerm und niemals gänzlich
gesättigt — ».

Et cui hoc loco non succurrunt Goethiana de Fausto:

« *Fürwahr! er dient Euch auf besondere Weise:*
Nicht irdisch ist des Thoren Trank noch Speise.
. . . . *Und alle Näh' und alle Ferne*
Befriedigt nicht die tiefbewegte Brust. »

Adde Schubertum in Histor. Animi Humani, §. 64, p. 894 ed. 1mae: « Es reicht die Gränze der Herrschaft der Seele bis zum Erwachen eines Sehnens, das vergeblich in dem ganzen sichtbaren Bereich der Leiblichkeit, wie selbst in dem unsichtbaren der Seele, nach Erfüllung fragt » etc. etc. Hanc divini amoris naturam, a Platone fabula nostra *μυθικῶς* adumbratam, extrema autem Diotimae oratione *διαλεκτικῶς* descriptam, adeo non perspectam habuit Wielandus, ut Amoris, a Platone informati, inexplebilem ingluviem deridere non erubesceret (Aristipp. lib. 3, ep. 12, p. 182, 184 inf. 185 inf. ed. Caroliruh.). Tu conf. Apocalyps. cap. 3, vs. 17: *Ὅτι λέγεις· ὅτι πλούσιος εἰμι, καὶ πεπλούτηκα, καὶ οὐδενὸς χρείαν ἔχω, καὶ οὐκ οἶδας, ὅτι σὺ εἶ ὁ ταλαίπωρος καὶ ἐλεεινὸς καὶ πτωχὸς καὶ τυφλὸς καὶ γυμνός.* Add. *Scholl.* ad p. 105 inf. 115 supr.

P. 115 supr. *Necesse autem est, quod etc. etc.*] Cf. Simplic. in Epict. Enchir. cap. 38, p. 231 inf. sq.

P. 116 inf. *Nam quum corporum quidem pulcritudo etc. etc.*] Cf. Simplic. in Epict. Enchir. cap. 38, p. 229 med. sq.

P. 117 supr. *quoniam — nunquam deducitur*] Vid. Plat. Polit. lib. 7 exordio et conf. Basil. Magn. ep. 8, §. 5, p. 85. *ἐπειδὰν* (leg. *ἐπειδὴ*) *παχυνθεὶς ἡμῶν ὁ νοῦς τῷ χοῒ συνεδέθη κτλ.* et Comm. in Esaj. p. 488, D. (ubi ad Sap. Salom. 13, 5. respicitur) p. 490, B. *ἐπεὶ οὖν τὰ ἀόρατα τοῦ θεοῦ ἀπὸ κτίσεως κόσμου τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθορᾶται* (Ep. ad Roman. 1, 20.), *ὁ μὴ ἐμβλέπων τοῖς ἔργοις, οὐδὲ πρὸς τὴν διὰ νοῦ νόησιν ὁδη-*

γεῖται: p. 493, C, D. 496, B: Procl. Comm. in Plat. Timae. lib. 3, p. 174. πεπτωκότες τὰ ὄντα θεωροῦμεν· ἄνω μὲν γὰρ ὄντες καὶ ἀπὸ σκιᾶς (leg. σκοπιᾶς) τινος θεώμενοι τὰ τῇδε κτλ. est enim totus locus cognoscendus, quippe ad rem egregie accommodatus et plane geminus ei, quem ex Basil. M. ep. 8 supra attulimus.

P. 117 med. *Quamdiu enim etc. etc.*] Conf. Basil. Magn. Comm. in Esai. cap. 3, §. 162, p. 493, C, D. quo loco pater iste eccl. egregie πλατωνίζει atque aperte respicit ad Platonis disputationem, a nobis breviter relatam, Symp. p. 209, A. τὰ δὲ τέλεα καὶ ἐποπτικὰ κτλ. p. 211, B. τοῦτο γὰρ δή ἐστι τὸ ὀρθῶς ἐπὶ τὰ ἐρωτικὰ ἰέναι — ἀρχόμενον ἀπὸ τῶνδε τῶν καλῶν ἐκείνου ἕνεκα τοῦ καλοῦ ἀεὶ ἐπανιέναι —.

P. 117 inf. *Etenim vivere — dicuntur.*] Cf. Clemens Alex. Q. D. S. p. 21 ed. Segaar. αὕτη — ἄτρεπτος καὶ ἀσάλευτος ἀρχὴ καὶ κρηπὶς ζωῆς, ἐπιστήμη θεοῦ τοῦ ὄντως ὄντος κτλ. Basil. Magn. Opp. ed. Garn. T. 2, p. 318, D. ὁ — θεός, ὁ ποιήσας τὸν ἄνθρωπον, ἡ ἀληθινή ἐστι ζωή· ὁ οὖν ἀπολέσας τὴν πρὸς θεὸν ὁμοιότητα, ἀπώλεσε τὴν πρὸς τὴν ζωὴν οἰκειότητα· τὸν δὲ ἐκτὸς τοῦ θεοῦ ὄντα ἐν τῇ μακαρίᾳ ζωῇ γενέσθαι ἀμήχανον. Plura de hac re disputabimus ad Convivii locum, quo nostra illa *Etenim — vivere dicuntur* pertinent, p. 211, D. ἐνταῦθα τοῦ βίου —, εἴπερ που ἄλλοθι, βιωτὸν ἀνθρώπῳ, θεωμένῳ αὐτὸ τὸ καλόν.

P. 118 supr. *Ad immortalitatem — ex virtute divina*] Cf. Philo Opp. ed. Mang. T. 1, p. 534. ὅρος ἀθανάτου βίου κάλλιστος οὗτος, ἔρωτι καὶ φιλίᾳ θεοῦ ἀσάρκῳ καὶ ἀσωμάτῳ κατεσχῆσθαι: Jo. Chrysost. Opp. T. 6, p. 753. ἀνάγκη τὸν ὁμιλοῦντα θεῷ καὶ κρείττονα γενέσθαι θανάτου καὶ πάσης διαφθορᾶς κτλ. Cum insequentibus nostris, *non spectat humana — obnoxius sit*, sigillatim confer Aristot. Eth. Nic. 10, 7, 7. χρὴ δὲ οὐ κατὰ τοὺς παραινοῦντας ἀνθρώπινα φρονεῖν, ἄνθρωπον ὄντα, οὐδὲ θνητὰ τὸν θνητόν, ἀλλ' ἐφ' ὅσον ἐνδέχεται ἀπαθανατίζειν —. quae, ut permulta alia in Aristotelis libris, πλατωνικώτατα esse vides. Confer Timae. p. 90, C. Symp. p. 212, A. quo nos potissimum respicimus, et Phaedonem p. 64, B. sqq. Pluribus de hoc argumento disputabimus ad Plat. Symp. l. c.

P. 118 supr. *recludens etc.*] Horat. Carm. 3, 2, 21 — 24.

P. 118 med. *apud Joannem Evangelistam*] Cap. 14, 14—24, de quibus quae Herderus Opp. T. 11, p. 401 sq. disputavit, nostrae rationi maxime sunt accommodata.

P. 118 inf. *Vaticinatus enim — ipse re ostendit*] Sunt sane Socrates et Plato hac potissimum ratione προπαιδευταὶ εἰς Χριστὸν habendi, quod divinae in homine virtutis imaginem, quam Plato extrema Diotimae extrema effinxit, quamque Alcibiadis laudatione Socratem revera exhibuisse docet, eam non solum ipse

quoque repraesentavit Christus, sed, quippe λόγος θεοῦ, longe etiam obscuravit. Conf. Baurum: Sokrates und Christus p. 145 — 154.

P. 118 inf. *Recreator*] Hanc ipsam *Παρακλήτου* nominis potestatem esse, docere conati sumus disputatione, aliquando, si Deus vitam dederit, edenda, qua inquiritur, *Ad Quosnam Pertineat Promissio Spiritus Sancti In Novo Testamento*. Egregie ad nostram rem faciunt Chrysostomi verba Opp. ed. Savil. T. 6, p. 837. *ὥςπερ — εἰς πολλὴν κατηνέχθη ταπείνωσιν, τὸ πρωτότυπον κάλλος τῆς εὐσεβείας ἀποδυσάμενος* (*homo* nimir.), *οὕτω διὰ τῆς σωτῆρος ἡμῶν, τοῦ θεοῦ λόγου, συγκαταβάσεως ἐπλουτίσθη —. ὁ γὰρ θεοῦ λόγον δεχόμενος πλουτεῖ, ὁ δὲ μὴ δεχόμενος θεοῦ λόγον πτωχεύει.*

P. 118 inf. *Muretus*] Orat. V. p. 294; ed. Thomas. = Orat. V, p. II, p. 522 ed. Ruhnken. Haud temere factum, quod quem nos h. l. retulimus Mureti locum, eundem eadem ratione Stallbaumius laudavit Prolegomm. ad Sympos. ed. 2dam, p. 19.

SUPPLEMENTUM SCHOLIORUM.

P. 120, 4 *ante* Hasius *add.* Baurus: Symbol. u. Mythol. vol. 1, qui quid inter symbolicum, mythicum et allegoricum genus intersit egregie explicuit p. 1 — 81, mythum et symbolum accurate distinxit p. 296 sq., denique de mythi causis et natura diligenter disseruit p. 27 — 68 et p. 87 sq., sigillatim etiam philosophi mythi ratione habita p. 40 sq.

P. 120, 15. *Marxii disputatio inest tomo* 2do *ephemeridum, quae inscribuntur*: *Freiburger litterar. Blätter, id quod cognovi ex Schreiteri disput. de Doctrina Plutarchi Theol. et Mor. in Ilgenii* Zeitschrift f. histor. Theol. T. 6, p. 32 sq. annot.

P. 120, 16. *ante* a Bauro *add.* a C. Ph. Fischero disputatione de Hellen. Philos. Princip. atque Decursu, Tubing. 1836, p. 3 sq. annot. 10), p. 30 extremâ annot. 89).

P. 120, 20 *add.* Ackermann. Das Christl. im Plato, p. 69 et quos laudavit Richter. De Ideis Platonicis p. 3. — Tennemannus quidem interiorem fabularum platonicarum naturam haud perspectam habuit atque Phaedri loco p. 276, E., a Heindorfio recte explicato, temere usus est. Quae idem de earundem generibus variis disputavit, ea nostra disputatione p. 31 — 33 multis partibus corriguntur et explentur.

P. 121, 1. *ante* Stallbaum. *add.* Creuzer. Symbol. u. Myth. vol. 1, Fasc. 1, ed. 3tiae, p. 4 sq.

P. 121, 11. *laudatis a Tholuckio adde Baurum Symbol. u. Myth. I, p. 304 sqq.*

P. 122, 30. *Wyttenbachio adde Segaarum ad Clem. Alex. Q. D. S. p. 370 sq.*

P. 123, 12. *adde hoc Scholium ad* P. 29, 12—14 — *illa omnis scientiae mysteria — ratio et scientia* —] Cf. Schubertum: Ansichten der Natur von der Nachtseite der Naturwissensch. praelect. 4, p. 92: «Unnatürlich muss es doch jedem Ruhigen vorkommen, und ist auch bereits so vorgekommen, dass der Ausgewanderte, der als Miethsmann in unserm Gehäuse wohnt, *durchaus kein eigentliches Organ für seines Gleichen hat*» etc. etc.

P. 124, 22. *De Plotini ratione veteres fabulas tractandi Creuzerus haec dicit Annal. Heidelb. nov. ser.*, 1838, 5, 3, p. 232: «Ich bemerke gegen Wyttenbachs Ansicht (ad Phaedon. p. 210 sqq.), dass Plotinus in seinen spätern Schriften die Lehre von der Seelenwanderung und so manche andere von den Philosophen fortgepflanzte Erzählungen für Mythen hielt und vom Mythus überhaupt eine sehr gesunde Vorstellung hatte (Siehe Anott. p. 5, *a*. p. 162, *b*. p. 209, *a* und p. 264, *b*.)»

P. 120, 16. *Baurus antea quoque de usu fabularum ap. Platonem scite disputavit in*: Symbol. und Mythol. vol. 1 p. 354 sq.

P. 126, 23. *Schleiermachero adjunge Baurum, de usu fabularum ap. sophistas egregie docentem Symbol. u. Mythol. I, p. 345 sq.*

P. 126, 41 *add*. Platonicas hoc ex genere fabulas attigit Schreiterus Disputatione De doctrina Plutarchi theol. et moral. (Zeitschrift für histor. Theol. von Illgen. T. VI) p. 52 sq. qui quid Plato iis spectaverit et quid inter platonicas et plutarcheas νεκυίας intersit scite disseruit. — Ceterum fabulam, libro de Leg. 4, p. 713, B—E. narratam, consulto neglteximus, quippe exsculptam ex ampliore eiusdem argumenti fabula, in Politico allata. Vid. Zeller: Platonische Studien, p. 45, p. 104.

P. 128, 28. *ante* Sallust. *add*. Plutarch. De EI Delph. cap. 9. de Is. et Os. cap. 9.

P. 128, 41, *ante* Müllerus *add*. Baurus: Symbol. u. Mythol. vol. 1, p. 82 sq.

P. 130, 16. *post* notatus *add*. a viro docto in Ephemm. Litt. Jenens. 1833, Januar. num. 12, p. 93.

P. 130, 42 *ante* Rötscher *add*. Baurus: Sokr. und Christ. p. 109 sq.

P. 131, 36 *add*. *hoc Scholium ad* P. 49 med. *post Socratem — significaret*] Praeter viros dd. Scholl. p. 131 supr. laudatos vid. Baurus: Sokr. u. Christ. p. 104 inf. et confer insuper Dissert. nostram p. 110 med. cum annott. et Scholiis.

P. 132, 23 *post* diximus *add.* et vid. Fortlagius: Philos. Meditt. über Plato's Sympos. p. 178—192.

P. 132, 33 *post* a Rötschero l. c. *add.* Imprimis hoc nomine notandus cuipiam videatur Fortlagius, qui in libro *Meditationum philos. in Platonis Symposium* (Heidelberg. 1835.) plurima ex orationibus socraticam antecedentibus elicere conatus sit, de quibus Plato ne per somnium quidem cogitavit; quamquam vir ingeniosissimus mihique imprimis carus satis se excusasse videtur iis quae in Meditationum capite p. 1 praefatus est. De ratione, quae socraticam et reliquas orationes intercedit, scite idem judicavit haud uno loco, p. 36 med. 40 supr. 42 supr. 176 sqq.

P. 137, 5 sq. *Neque Ciceronis mentionem h. l. quisquam desiderabit, etsi bene scimus, Beierum verba eius ista libro de Amicit.* 9, 2. « *humilem . . . volunt* » *ad Sympos.* p. 203, D. *τὴν τῆς μητρὸς — ξύνοικος retulisse, et doctrinam, Ciceronis, ut illi videbatur, opinione fabula de Amore ex Indigentia orto adumbratam, ab eodem l. c. notatam censuisse.*

P. 140, 21. *Eusebii sententiam breviter retulit Lyl. Gyraldus Histor. Deor. Syntagm. XIII, p.* 357 *sq. ed. Basil.* 1548.

P. 140, 33 sq. *Huc pertinent ista, quae nos in Commentationibus Platonicis vernacula lingua scriptis dicimus:* « Sehr gezwungen war es allerdings, wenn *Origenes* c. Cels. und *Eusebius* in der Praep. Ev. unsern Mythus als eine *Nachahmung* des in der mosaischen Urkunde vom Paradiese und vom Sündenfalle erzählten aufgefasst wissen wollten. Sie giengen dabei irriger Weise einzig von dem Umstande aus, dass an beiden Orten ein *κῆπος* genannt wird. Allerdings ist dort der *κῆπος* als der Sitz des Urmenschen und der Ort aller Fülle und Seligkeit die Hauptsache, indem er im unmittelbaren Gegensatze gegen die öde und armselige Erde steht, auf welcher nun der gefallene Mensch sich forthelfen muss: anders hier, wo der *κῆπος* lediglich einen Nebenumstand ausmacht und dem Bild der Seligkeit und Fülle, deren Inbegriff Poros ist, als Folie dient, während Poros selbst, als der Inbegriff göttlicher Fülle und Seligkeit, im Gegensatze zur Penia, zur Armuth und Unseligkeit, die Hauptsache ausmacht. Vollends gezwungen war nun die Parallele zwischen der Schlange und der Penia, welche aus jenem ersten Missgriffe abgeleitet wurde. Allein, abgesehen von dieser misslungenen Vergleichung, die wohl keinen andern Zweck hatte, als zu zeigen, dass Plato, wie er vieles Andere den Hebräern verdanke, so auch die mosaische Urkunde in diesem Mythus benutzt habe, — ist denn gar keine Verwandtschaft zwischen diesem Mythus und jenem der Genesis? Freilich, und zwar eine auffallende, wenn wir nämlich das Allgemeine uud Wesentliche an beiden ins Auge fassen. Beide Mythen

fliessen aus der Tiefe des philosophirenden Gemüthes, aus dem räthselhaften Gefühle des grossen Lebensräthsels, welches sich uns darstellt in dem Zwiespalt und Dualismus unserer Natur, die Freies und Nothwendiges, Vernünftiges und Sinnliches, Gutes und Böses, Menschliches und Thierisches, Geist und Staub zu einer Einheit gefesselt zeigt; aus dem Gefühle, welches sich uns immerdar wieder aufdrängt bei der Disharmonie unsterblicher Gedanken und eines sterblichen Leibes, unendlicher Gefühle und endlichen Daseins, bei dem erhebend demüthigenden Bewusstsein der Armuth alles menschlichen Vermögens trotz des unvertilgbaren Hanges, uns die Fülle und Seligkeit der Ideale des Vollkommnen und Göttlichen äusserlich und innerlich, im Handeln und im Wissen anzueignen. Diese Grundgefühle des philosophirenden Menschengeistes sind es, welche der griechische sowohl als der hebräische Philosoph in seinem Mythus enträthseln wollte. Dieser nun, scheint es, löset das Räthsel so, dass er die Disharmonie in der Zeit und Geschichte entstehen lässt, und setzt, mehr sinnlich zu Werke gehend, wenn wir wenigstens seine Bilder festhalten, was dem jetzigen Leben an Friede und Freude abgeht, in die ferne Vergangenheit und in eine auf ewig verschlossene Urheimath der Menschheit, die nun in der erhaltenen Erinnerung jener irdischen Seligkeit der verfluchten Erde ihr Leben abringen muss: jener dagegen, auf einem höheren, geistigeren Standpunkte, und aufwärts nach dem überhimmlischen Paradiese, nach der unsichtbaren Heimath den schmachtenden Geist gerichtet, löst das Räthsel so, dass er den Streit im irdischen Dasein des Menschengeistes aus einem verlornen, vorzeitlichen, himmlischen Leben desselben, mit dessen Verlust er der Materie eingepflanzt worden, herleitet, und lässt den Menschengeist, entflossen der überirdischen Seligkeit des Weltgeistes, und versunken in die Unseligkeit und Armuth des Lebens im sterblichen Leibe, nach der Schönheit und Fülle des himmlischen Lebens, das der Seele, wie ein Traum, in der Erinnerung vorschwebt, in unabweisbarem, wenn auch meist dunkelm und oft irrendem Drange jagen und ringen. Zwar fehlte es unter den ältern Kirchenvätern keineswegs an solchen, welche den Mythus der Genesis in einem ähnlichen, tieferen Sinne auffassten, und, was scheinbar historisch vom irdischen Paradiese erzählt sei, vermöge des historisirenden Wesens des philosophischen Mythus von einer überirdischen, himmlischen Heimath gelehrt glaubten, den Sündenfall aber auf die πτεροῤῥύησις nach platonischer Vorstellung bezogen wissen wollten. Vergl. Vales. zu Constantin. Orat. ad S. Coet. cap. 7, p. 545 ed. Heinich. Und von dieser Seite aufgefasst wäre allerdings der mosaische Mythus von Origenes und

Eusebius a. a. O. mit mehrerem Scheine als die Quelle unseres platonischen dargestellt worden; jedenfalls konnte von dieser Seite die Parallelisirung beider Mythen mit dem grössten Rechte unternommen werden, während die Genannten an jene Auffassung des erstern auch nicht von ferne gedacht haben.»

P. 143, 29. *ante* Quae Campanella etc. *add.* Silentio praetereunda non est ratio, qua auctor libri *Du Vray Et Parfaict Amour* (Paris. 1599.), libro septimo, p. 236 sq. Porum et Peniam in amatoris et amasiae personas ἀλληγορικῶς convertere studuit, et vicissim pro rei natura amasiam Pori, amatorem Peniae personam induere docuit.

P. 144, 32. *ante* Bisciola *add.* Benedict. Averanus in Raccolta di Prose Fiorentine Part. 2, vol. 4, Lect. XI, p. 294—304.

P. 151, 38. *ante* Plutarch. *add.* Philo T. 1, p. 154. τελειοτάτη ἡ τοῦ θεοῦ φύσις κτλ.

P. 153, 7. *add.* et, qui eadem sententia platonica κακώσεως τόπον Psalm. 43, 25. *terram* interpretati sunt, Origenes c. Cels. lib. 7, p. 731, A. atque Basilius Magnus T. 1, p. 570, D.

P. 155, 11. *post* Needham. *add.* p. 34. ἐν κόσμῳ πρῶτοι οἱ ἀπ' αὐτοῦ καὶ μετ' αὐτὸν κτλ.

P. 155, 31. *post* p. 180 inf. *add.* et confer ex recentioribus Troxlerum: Blicke in das Wesen des Menschen, p. 123: «Der Mensch, wie er sich im Leben findet, als Individualität und Ichheit, erkennt zunächst diese für sein Wesen, und es geht ihm ein Jenseits und ein Diesseits, als etwas *Fremdes*, auf, eine überirdische und eine irdische Welt, die ausser ihm keinen Zusammenhang haben. Zwischen diesen zwei Welten ist er selbst da und erscheint sich, und indem er sich mit seinem sterblichen Leben ablöst von dem unsterblichen, indem er die transscendente Welt von sich ausscheidet und die concrete von sich absondert, *irrt* er in seinem eigentlichen Ansich *heimathlos* zwischen dieser und jener Welt umher.» Schubertum: Ansichten der Natur von der Nachtseite der Naturwissensch. ed. 2[dae], praelect. 4, p. 90: «im unendlichen Meere der Kräfte und Wesen und Naturen, in welchem *das jetzige kalte Amphibion ursprünglich zu Hause gehörte* —» prael. 12, p. 300 sq.: «Mit Recht ist — der Mensch *ein zweilebendes Wesen,* das auf dem höchsten Gipfel der Natur zugleich die Anlagen des Ueberirdischen in sich vereint, genannt worden — ». p. 309: «Hierdurch wird auch das Gemüth mit jenem tiefen Sehnen, mit jenem Streben in seinem Innern ausgesöhnt, was doch durchaus *ein armer heimathloser Fremdling* in dem jetzigen Dasein scheint und welches in ihm nur selten oder nie Genüge findet.» En Platonis Amorem ἄοικον, ἀεὶ ἐνδείᾳ ξύνοικον! —

P. 162, 26. *ante* Boeth. *add.* (cuius loci singula platonicis ex fontibus hausta sunt: primum verba ἐκεῖνον — ἕνεκα πάντα καὶ λέγει καὶ διανοεῖται καὶ πράττει ex Reip. 5, p. 503, E: deinde ista ὠδῖνος λήγει et τῇ τῆς οὐσίας αἰτίᾳ συμφὺς ex Reip. 6, p. 490, B.)

P. 163, 21. *Chrysostomo adde Lucianum Nigrin. c.* 15, *T.* 1, *p.* 54 *ed. Wetst.* ὅστις πλούτου ἐρᾷ καὶ χρυσῷ κεκήληται — ἀνάπλεως γοητείας καὶ ἀπάτης.

P. 164, 27. *ante* T. 6, p. 676. *add.* T. 5, p. 379. τί ἡμεῖς ἑαυτοὺς κάτω κατάγομεν —; μέχρι πότε πενιχροί; μέχρι πότε πτωχοί; κτλ.

P. 165, 19 *add.* Cum nostris illis: *perspectis domesticae pulcritudinis et bonitatis divitiis,* conf. Boeth. Consol. Philos. lib. 3, carm. 11. «Quisquis profunda mente vestigat verum,— In se revolvat intimi lucem visus — Animumqne doceat, quidquid extra molitur, *Suis retrusum possidere thesauris.*» ubi vid. Vallinus.

P. 166, 4. *add.* et ista: «Was willst du armer Teufel geben?» etc. etc.

P. 167, 32. *adde scholium istud ad Dissert.* P. 93 supr. *Haec igitur omnia — miserrima esse.*] Primaria de hac re disputatio ap. Jo. Chrysost. T. 1, p. 616. τί περὶ σώματα μαίνεσθε; κτλ.

P. 168, 3. *post* docetur *add.* (est autem ἐπιστροφὴ ista, recc. Platonicis valde celebrata, nil nisi fabulosus ille Platonis Ἔρως, i. e. studium animo humano insitum divinam originem bonique et pulcri fontem repetendi: conf. Boeth. Consol. Philos. 4, carm. 6 «Hic est cunctis communis amor, *Repetuntque boni finem teneri* [vulg. fine teneri]»)

P. 168, 8. *adde Scholium ad* P. 98 med. *Audi, quaeso, quaenam etc.*] Cf. Clem. Alex. Strom. lib. 6, p. 643. χρὴ — τὸν θεὸν ἀγαπῶντα τῷ ὄντι ὅσιον καὶ δίκαιον μετὰ φρονήσεως γενέσθαι, quibus ipsis verbis ad Theaeteti locum a nobis allatum respici perspicuum est.

P. 168, 24. *ante* Damasc. *add.* Plutarch. Fragm. VII, 28. (ἡ ψυχὴ) κατ' οὐσίαν εἰκὼν οὖσα (nimir. *Dei*) συμπάσχει τῷ οἰκείῳ παραδείγματι καὶ ὀρέγεται αὐτοῦ ὡς αἰτίου.

P. 171, 1 *post* Convivio *add.* p. 174 supr.

P. 171, 16. *add.* Ceterum Olshausenii illam sententiam, anctoris nomine celato recoctam a Schrödero: Ueber die Bedeutung des Gefühls beim Religionsunterrichte in Gelehrtenschulen, etiam Tholuckius reprobavit, huius libri censuram agens in: Litterar. Anzeiger für christliche Theologie, 1838, P. 2, p. 589.

P. 174, 20. *add. Scholium ad Diss.* P. 104, 18 — 22. *Alcibiades, cuius oratione — informavit*] Egregie et perquam accommodate Fortlagius in: Philosophische Meditationen über Plato's Symposion, p. 171 sq.: «Der Dämon, welcher den Sokrates dann und wann besuchte und seinem Gemüthe nie Ruhe liess, nach unerreichbarem Ziele zu streben, welcher seinem Herzen die Ruhe geraubt hatte, und es nun umhertrieb zwischen Seligkeit und Schmerzen, bald es erhebend auf die Throne überirdischer Wissenschaft, bald es versinken lassend in die Nacht des Nichtwissens und der Trübsal, dieser Dämon, welcher ihn bald versetzte in die starre Ruhe des Anschauens, Stunden lang, ja einen ganzen Tag lang, still zu stehen in allvergessender Contemplation, bald aber ihn trieb zur Aufsuchung immer neuer Freundschaft, neuer Verbindung, neuer Anzündung seines forschenden und suchenden Enthusiasmus, dieser Dämon war selbst von dem hier (in fabula Diotimae) geschilderten Dämon Eros nicht sehr verschieden.»

INDEX ARGUMENTI.

DISSERTATIONIS PLATONICAE

PARS PRIMA.

PARS SECUNDA.

PARS TERTIA.

INDEX
SCRIPTORUM VETERUM,
QUORUM LOCI IN SCHOLIIS EMENDANTUR VEL TENTANTUR.

CORRIGENDA.

Pag. 1, tertia in inscriptione leg. *e quibus argumenta ducenda sunt*— p. 1, 1 *ut, quae* — p. 1, 3 *consequamur* — p. 1, 7 *puto, quin* — p. 2, 12 post *esse* astericus excidit — p. 4, 12 leg. *redargui* — p. 4, 16 *id, quod* — p. 4, 19 *disserentes, minus* — p. 4, 22 *ea, quae* — p. 4, 33 *obscurissimarum*— p. 4, 38 *εἰκὼς* — p. 6, 29 *quamque qui* — p. 6, 31 *comparatione, verum*— p. 7, 33 *videte, si* — p. 7, 37 *posito, Critias* — p. 8, 24 *commemoraret, cantat.* — p. 9, 35 *affectu imag.* — p. 11, 10 *est, terram non vid.* — p. 12, 32 *quicquid* — p. 13, 1 *est* — p. 13, 15 *quas* — p. 13, 19 *utrique* — p. 16, 12 *ad exemplar p. m. apprehendendum* — p. 16, 18 *exsistit* pro *existit*, quod mendum saepius occurrit — p. 19, 21 *multitudini* — p. 29, 2 *vide* — p. 29, 26 *egestate* — p. 29, 36 *meministi* — p. 32, 3 *vero* — p. 32, 24 *quae in iis insunt* — p. 33, 35 *inest* — p. 34, 19 *studium ea* — p. 34, 32 *digladiantur* — p. 35, 22 *contendant* — p. 40, 32 *mente uti* — p. 42, 11 *habuerint* — p. 42, 18 del. *an* — p. 45, 5 leg. *suscip.* — p. 45, 8 *etiam Agatho* — p. 48, 4 *opinionum* — p. 48, 7 *Amoris* — p. 56, 30 *Μῆτις* — p. 60, 5 *oppetit* — p. 65, 18 *cursum a Jove* — p. 67, 26 *quae infer.* — p. 69, 14 *simulacr.*—p. 72, 18 *Minime* — p. 72, 30 *celebrat* — p. 72, 37, 38 *intuitu omn.*— p. 73, 2 *pristinum* — p. 75, 2 ante fin. *Feinheiten* — p. 76, 3 a. f. *de daemonum natura* pro *de daemonum Amore* — p. 77, 18 *utpote* — p. 84, 36 *ubicunque* — p. 86, 1 *aestim.* — p. 90, 28 *virtutem ampl.* — p. 97, 2 *ancipitis* — p. 98, 22 *vere* — p. 102, 3 a. f. *quasque* — p. 105, 34 *esurit?* — p. 107, 25 *objiciet?* — p. 110, 21 post *depreh.* asteriscus excidit — p. 111, 4 a. f. leg. *libris* — p. 115, 9 *sunt, contend.* — p. 117, 4 a. f. *in eaque* — p. 118, 18 *tota eius vita* — p. 128, 1 *illi* — p. 140, 38 *Quaestt.*— p. 143, 24, 25 *devocavit . . . descripsit* — p. 145, 4, a f. *ubique* — p. 146, 13 del. *aperuisse* — p. 155, 26 leg. *naturae* — p. 160, 23 *ita* — p. 160, 33 *consentientes* — p. 166, 21 *posuit* — p. 167, 9 ante *ἐν* add. *εἰκόνι* — p. 168, 13 *animi* — p. 173, 14 *allati* — p. 173, 32 *ἀλήθειαν* — p. 174, 29, 30 *tantum* — p. 175, 30 *θεοῦ.* — p. 182, 21 *qui inscr.* — p. 191, 9 *praefatus.* — Reliqua et operarum errata, et mea ipsius *παροράματα*, aut leviora, aut graviora, quae meam oculorum aciem effugerint, facile ipsi corrigent eruditi lectores.

Eiusdem auctoris haec apud eundem librarium prodierunt opuscula:

Symbolae ad emendandum et illustrandum Philostrati librum de Vitis Sophistarum. 1837, 8°. 18 gr.

Lesefrüchte altteutscher Theologie und Philosophie, etiam sub titulo: Theologie und Philosophie aus Heinrich Suso und Niclaus von Strasburg. 1838, 8°. 6 gr.

Basilius magnus plotinizans, supplementum editionis Plotini Creuzerianae, Basilii M. Garnerianae. 1839, 4°. 14 gr.

Propediem, eodem auctore, prodibunt

Anecdota Graeca.

Typis C. A. Jennii, patris.